















12 leaves, 392 pp., 16 leaves.
1 folding table between p. 384
and 385.



ΔΙΑΝΟΙΑ

ASTROLOGICA,

QVAE OMNIVM PRAEDICTIONVM ASTROLOGICArum veras caussas inquirit, falsas verò èxaminat & damnat; nulli non perutilissima.


CORONIDIS LOCO DEFENDITVR *Aristoteles contra Neotericos plerosq; qui de apparentiâ stellarum prioribus annis modò deprehensarum scripserunt.*

Accessit tandem & succincta EXEGESIS ASTROLOGICA, definitionum & diuisionum Astrologicarum verum Sistema.

AVCTORE
M. VVOLFFGANGO SATLERO,
BASILEENSI I. V. STVD.



MONTISBELGARDI,
Typis IACOBI FOILLET, *Illustriß. Ducis VVirtemberg. Typogr.* *Anno* 1605.





MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS ET PRVDENtißimis Viris, D. IOANNI STÖFELIO, I.V.D. celeberrimo, & Elicurdensi Præfecto clarißimo: necnon D. HILARIO CHALVEO, ciui Montisbelgardensi præcipuo, Dominis, Patronis & amicis colendißimis.



TAnta est humana infœlicitas, & miseria, vt quo intricatioribus obscuritatis & caliginis nexibus res inuoluta concernitur, eo maiori nixu ad huius cognitionem perfectam peruenire conetur, omnemq; eò conferat operam & oleum, licèt rarissimè imò nunquam voti sui compotem fieri contingat. Hinc Alcumistas confectioni lapidis Philosophici, hinc Geometras quadraturæ circuli, hinc mechanicos motui perpetuo inueniendo, hinc

Astrologos contemplationi cœlestium virium immersos videmus.

Naturaliter enim homini inest, vt id, quod abditum & reconditum est, aueat scire: quod immaturum desiderium generi humano perniciosissimum statim à primordio mundi fuit, huius vitio ad inferos detrusi pristinam sapiētiam, perfectamque mentis synceritatem & integritatem amisimus, & perdidimus, facti mancipia Sathanæ, peccata peccando nostra ita adauximus, consuetudinemq; peccandi contraximus, vt nihil nisi malum cogitare, contradicere & rebellare Deo, eiusq; diuinissimæ legi potuerimus. Hinc iræ Dei, hinc ipsius maiestatis sanctissimæ offensionis, vniuersum genus humanum proterentis, extremamque perniciem & exitium comminantis inflammatio, quam nisi Christus ille Saluator mundi, seipsum vt hostiam Deo Patri pro peccatis vniuersi mundi immolando & offerendo, sui sacrosancti sanguinis guttis placasset, mortis aciem retudisset, diaboliq; carcerem effregisset, actum cum maioribus,

ribus,nobiſcum,poſteritateq́ue noſtra fuiſſet: Huius tamen deſiderij ſemina in nos vſque deriuata eſſe, hodiernarum artium abditarum, præſertim Aſtrologiæ curioſa inueſtigatio euincit. Recondita & abdita habere Aſtrologiam principia, proindeq́; ferè pleroſq́; latere ex eo apparet: quod ne quidem tam excellens vnquam extiterit Aſtrologus,qui ex ſuis principiis, quæ habet, verum ſemper aeris ſtatum elicere potuerit:idq́; propterea, cùm dfficillimè & non niſi diuturno ſtudio vitam in plurimos annos protenſam requirenti, ad huius perfectam cognitionem perueniri poſſit,idq́; iis de cauſſis.

Primò, quoniam omnis cognitio aſtrorum eſt à poſteriore. Ex effectu enim Aſtrologi arguunt cauſſam: quæ argumẽtatio ideo fallaciſſima eſt, quia non vna tantum cauſſa,ſed plerunque plures ſeſe eodem tempore dfferunt, ad harum verò aliquam præcisè referre effectum diuiniſſimi non humani, omnibusverò paſſim adſcribere,ſtultiſſimi,non ſolertiſſimi eſt ingenij.

Secundò, cùm tempeſtatum mutatio præcipuè ex configuratione aſtrorum ſphæræ octauæ dependeat, horum tamen omnium cognitionem habere impoſſibile ipſo Iehoua teſte ſit, mirum non eſt humanam infirmitatem ei adſcribere effectum, cui nec cõuenit, nec congruit. Inde errores perpetui in prędictionibus, hinc ficta principia, inde deliria in Aſtrologia, hinc ſuperſtitiones, quibus id, quod ipſorum intellectui deeſt, complere conantur, generãtur & dimanant. Nec enim exiſtimemus ignotis ſtellarum corporibus, nulli imagini cœleſti incluſis nullam ineſſe vim, cùm Deus & Natura nil faciant fruſtrà.

Tertiò, breuitas vitæ in cauſſa eſt, vt homo ex effectu ad cauſſam licèt ſolerter arguendo, id quod inſtituit, complere, & perfecti quid deſiderio Tyronis Aſtrologiæ obiicere neutiquã poſſit: tanta enim huius ſcientiæ obſcuritas eſt, vt non niſi diuturna experientia eius vera & genuina cognitio adipiſcatur.

Quar-

Quartò obſtat hebetudo aciei humani ingenij, quæ adeò enormis, vt vix ac ne vix quidem huius diuiniſsimæ ſcientiæ qualis qualis cognitionis capax ſit, vtpote quam ſolo acumine intellectus venari liceat, qui cùm ſit maxima caligine inuolutus, mirum non eſt, hominem hac in re titubare.

Quintò, huic perfectæ cognitioni impedimēto eſt impatientia laborum, quos naturali inſtinctu acediæ & ſocordiæ dediti ſuſtinere plerunq; aut planè non, aut ægrè certè poſſumus. Promptiſſimum verò animum ad hoc ſtudium reconditum & laborioſum adferendum eſſe, non eſt vt moneam, cùm ſatis ſuperq; raritas eorum, qui huic ſtudio ſe addixerunt, id teſtetur.

Sextò nobis inuidet perfectam huius ſcientiæ cognitionem ſuperſtitio quorundam antiquorum Aſtrologorum, qui principia licèt optima variis & ſuperſtitioſis fallētiis ita obruerunt, vt vix veritatis & ſynceritatis illorum vllum veſtigium exſtet. Id verò quod ipſis reconditum erat, tantis obſcurita-

tis nebulis inuoluerunt, vt has diſcutere vix ſuſtineat humanum ingenium.

Septimò, difficultas & ſubtilitas artis pleroſque auertit ab huius ſcientiæ interiore cognitione. Nam prætérquam, quòd ſua natura ampliſſimum ſit, requirit etiam ingenium ſibi deſtinatum: quo ipſo efficitur, vt doctrina cum natura iuncta, diuturnitatem laboris, homine omni nixu ad eam impulſo, vincat & ſuperet. Ampliſſimum verò ideo eſt, quia vniuerſæ Aſtronomiæ, Geometriæ, Arithmeticæq; deſiderat cognitionem. Difficilimum autem ea de cauſſa, quòd cœli aſſidua contemplationi non acquieſcat, ſed varias inſuper diuerſaſq; regionum, terrarumq; naturas, conditiones, affectiones, ſitus, poſitus cognitos habere debeat: cui rei cognoſcendę ſufficere ne Neſtorem quidem arbitrarer. Sit igitur ſanè hoc ſtudium Aſtrologicum difficile, reconditum, amplum, laborioſum, pulcrum tamen & laboribus venale, cuius vtilitatem vniuerſæ gentes humanæ experiuntur, ſinguli verò ciues ſentiunt &

am-

amplectuntur. Videamus itaque, num ſtudium hoc non proprietatis quodam iure ſibi homo vindicet, Deuſque non maximè voluerit, vt huic operam nauaret creatura perfectiſſima.

Etenim primò hominem ex limo ad eum modum creauit formauitque, non vt faciem in terram, ſed in cœlum defixos haberet oculos: quod & ipſum Ouidius Metamorph. lib. 1. expreſſit his verſiculis:

Pronaq́ue, cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq́ue videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Sed cur hoc ita? ideo, vt admirabilẽ ſtructuram cœlorum & ſphærarum, luminum, ſtellarum, ſyderum illorum micantium, ornamentorum expanſionis conſideraret, Architectiq; prudentiam & ſapientiam immenſam admiraretur, & extolleret laudibus: ad laudem enim & gloriam diuinę ſapientię creatus homo, eandem & ſitire non ſermonibus tantùm, ſed & factis conuenit. Deinde Iehoua cęteris animantibus ſenſitiuam tantùm, homini verò & rationalem,

particulam illam spiritus viuentis, inspirauit animam: noluit enim sapiens Architectus, vt homo sola sensilium discretione occuparetur, sed aliam diuiniorem subiret actionem: contemplationi itaque & speculationi addidit aptam animam, quæ tamen sensitiuæ combinata non peculiarem animam, sed facultatem animæ humanæ constitueret, ne in vno corpore plures inessēt animæ. Hæc facit hominem differre à bestiis, hac discurrit, ratiocinatur, simplicia colligit, composita diuidit, & syllogizat, & cùm eius actiones incorporeis instrumentis, spiritibusq; peragantur, indefessa est, semper oblectat, nunquam lassata procumbit, suauissimam ergo contemplationem fatetur Aristoteles lib. 10. Ethic. c. 7. & 8. Hominis itaque proprium est cōtemplari, sed quæ? non terrena, non sublunaria, quia θεωρία est rerum præstantissimarum & pulcherrimarum, quales sunt res diuinæ & æternæ earumq; caussæ & principia. Ast terrestria & sublunaria res diuinæ & æternæ non sunt, sed subinde mutantur,
gene-

generantur, corrumpuntur, alterantur, & perpetua viciſſitudine feruntur. Cęleſtium ergo propriè erit contemplatio: harum aliæ conſiderantur vt cauſſæ primæ, aliæ vt cauſſæ ſecundæ: illæ vt principia principiorum, ens entium; hę vt cauſſæ cauſſarum naturalium & cauſſatorum. Illo modo Iehouam ſummum illud bonum homo contemplatur; quæ ſpeculatio vti tranquilliſſima & ſe contenta, vlteriùs ad ſui perfectionem nil requirit: tam perfecta vero contemplatio homini vix eſt, vt obtingat in hac vita terreſtri, cùm affectibus, peccato, mundo, & Sathanæ bellum indixerit acerrimum; tam diuiniſſimi autem boni electi participes erunt, poſtquam ex hac vita in æternam migrauerint. Hoc verò modo ſi homo conſideret res diuinas, cœleſtium corporum & ſyderum configurationes, motus, aſpectus, lumen, influentias, naturas & conditiones enucleat, quorum omnium contẽplatio ſe ſola non eſt contẽta, cùm fiat propter aliam perfectiorem, ideo imperfecta dici poteſt, ea tamen dum frui-

tur, qualis qualis sit illa, proximè ad vitam diuinam accedit, ergo præstantissima: primô, quia proficiscitur à diuinissima hominis parte, mente scilicet, & versatur circa nobilissimam materiam, nempe res diuinas: deinde quia in diuturnum tempus continuatur absq; defatigatione & tædio. Tertiò, quia suauissima, non solùm ideo, quòd eam comitetur syncera voluptas, verùm etiam quia coniuncta est cum scientia, quæ immatura parentibus primis multum constitit. Quartò, quia externo corporeo adiumento non indiget, quamuis à diuinissimo verbo meritò regi debeat. Quintò, quia minimè est laboriosa, sed tranquilla & quieta. Hæc vita ideo homini tantoperè est expetenda, quia per eam homo maximè viuit secundum eã partem, quæ in eo est optima & præstantissima, nempe secundum mentem. Per hanc itaque vitam homo videtur quasi ἀποθανατίζειν, & se à mortalitate vindicare, excolit enim mentem, & secundum verum rationis dictamen viuit, euaditq; θεοφιλέστατος καὶ εὐδαιμονέστατος. Tertiò

tiò & Deus hominem ad hanc non obſcurè inuitat, dum Abrahamo ſtellas demonſtrat, Solem ob Ioſue adiurationem remoratur, eundem motus pietate regis Ezechiæ retrotrahit, ſtella verò noua natales Chriſti inſignes reddit, obfuſcatione Solis & Lunæ tempus paſſionis Saluatoris mũdi notat, & decretorium nouiſſimum diem priuatione luminis luminarium & corporum cœleſtium notaturum ſe profitetur. Hanc in Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, vti Patriarchis & ſibi chariſſimis adeo non reprehendit, vt etiam horum trium virorum Deum & Iehouam ſe appellari iubeat. Quid autem quęſo Deo vti ſanctiſſimo ſpiritui cum improbis & ſuperſtitioſis hominibus, quid cum idololatriæ cultoribus negotij eſt? nihil certè: neceſſe ergo eſt, vt hanc ſcientiam & ſanctam, & licitam, & à ſanctiſſimis viris cultam, à Deo vero profectam, vtpote quam certam Chriſtus fateatur, dum homines faciem cœli diſcernere poſſe aſſerit; ad hominem idcirco proprio quodam & ſingulari iure ſpectare fatea-mur.

Huic studio, vt patriç inseruirem, vestigiis simul Proaui mei in hac re exercitatissimi D. VVolffgangi VVisenburgeri Doctoris Theologiæ sacrosanctæ in Christo defuncti insisterem, hactenus succisiuis horis iūcto Iuridico & Philosophico immoratus, operam & oleum me perditurum neutiquam speraui, si hac in re ferè ab omnibus sinistris ingeniis contempta elaborarem, principia vera & genuina superstitionis & obscuritatis pedibus conculcata eruerem, eruta erigerem, & quantum in me est, pristino nitori veritatis lumini exposita restituerem. Hoc verò efflagitauit naturalis stimulus, cuius vehementia punctus hoc opus aggressus sum: hoc imperauit pietas, hoc extorsit veritatis amor, qui hac in re plerunque pecuniæ emungendæ gratia friget, hoc excussit superstitio & idololatria nonnullorum Astrologorum, qui dum fumos vendūt animarum saluti insidiantur, suaque superstitione noxia captos diabolo dilacerandos & dilaniandos obiiciunt.

Quòd si minùs dextrè scopum attigero,

gero, non arti, sed exercenti culpam ad scribere conducit & fas est. Absit, vt quid noui citra rationem euidentem pietatis & veritatis introducam : absit vt antiquorum Astrologorum præcepta pedibus conculcanda aliis obiiciam; maneat ea suus valor, habeant suos obseruatores & cultores: vbi verò ea cum veritatis lumine veraq; pietate pugnare videro, tãtum non tribuam antiquitati, vt non omni diligentia, non modò salutis meæ, sed & aliorum incolumitatis studiosissimus ea declinem. Mihi, mihi, non alij tergiuersanti & restitanti scripta hæc volo, mearum prædictionũ insequentium rationem Christianam exponentia manifestissimam. Ego is sum, cui suorum factorum olim in decretorio illo die ratio exponenda erit, non Ptolomæus, non Hali, non Almansor, non Messala. turpe sit homini Christiano mediocriter perito, ex aliena ignorantia amore turpis lucri, aut mundanæ auctoritatis aucupandæ gratiâ delinquere, aliosq; sui delicti participes reddere. Nulla nos excepta sacra

auctoritas adeò mouere debet, vt non dicti alicuius sciti rationem exigamus, exactam præcisè ad regulam diuinã & humanam excutiamus, excussam verò si falsa improbemus, approbemus è cõuerso, si veritati respondeat & consentanea sit.

Cùm itaq; vestro partim fauore, viri amplissimi, consultissimi & honorandi, partim verò amicabili hospitio vsus sim vestraq; in ciuitate vitam transigens, nõ modò aduena humanissimè exceptus, sed & à Magistratu vestro prudentissimo & augustissimo protectus, bene constitutæ & formatæ Politiæ, optimiq; ciuis beneficia omnia expertus sum. Te enim virum consultissimum STÖFELIVM quod attinet, quis est qui non ad vnguem calleat, quanta prudentia tuæ prouinciæ præsis, eamq; vice Illustrissimi Principis Ducis VVirtembergici solerter dirigas? quis est, qui non palàm fateatur, quanto pondere studium nostrum Astronomicum & Astrologicum apud te sit, vt etiam nihil eorum omittas, quę hoc ipsum pristino decori restituere

tuere poſſent? adeò ſanè, vt mihi idem ſtudium, ſegnius tamen ex mea parte tecum colenti, quodammodo ius amicitiæ arctum intercedat: quis ignorat, quanta in eo præſtiteris, & quanto hoc ipſo Sole moliaris? magna certè: non miraberis itaque cauſſam, quæ me impulerit, vt tuum ampliſſimum nomen huic libello titubante calamo exarato præfigere auſus fuerim: illa in promptu eſt; eum enim eximia ſuppellectile Aſtrologica inſtructus partim defendes, partim verò vbi deficit explebis, ne me deficiente tanta ſcientia quid labis ex facto alieno contrahat. Quid verò hoſpitalitatis ius, quid affectio illibata tua tuorumq́;, quid beneficiorum cumulus mihi extorqueat, D. CHALVBE, vir humaniſſime & colende, tu, qui totus cum tua familia virtutibus deditus es, optimè ſcis. Quid ergo eidem, quid tibi debeam impoſſibile eſt vt neſciam. Præterquam enim quòd obligationis tenor apoſphragiſmate beneficiorum animo meo ſit impreſſus, accedunt etiam quotidiani honores, quibus me tu,

tuaq; familia affatim colitis, vt ex præſentibus præterita in memoriam reuocare, de futuris verò manifeſtiſſimum capere neceſſe ſit iudicium. Fieri ergo non poteſt, vt ab vllo officiis & virtute vincamini, qui non modò cunctos virtute & pietate ſuperare, ſed dura fortuna preſſos conciues veſtris beneficiis erigere ſtudetis. Fœlicitatis ergo & εὐδαιμονίας mundanę particulam non mo dicam obtinere iam vos exiſtimo, qui quantum in vobis ęſt, practicam illam ciuitatis εὐδαιμονίαν procuratis. Filium vnicum tibi ex prudentiſſima & honeſtiſſima matrona, vxore tua ex antiquiſſima CAMVZOTORVM familia oriunda, alea humana ſuperſtitem reliquit, qui procul omni dubio, (eximia enim & indubitata extant & nunc indicia) veſtram perſonam olim perfecta virtute & eximia doctrina iuris inſtructus repræſentabit: & ita verificabit id, quod fertur, patrem ſepultum in filio viuere. Etenim quî fieri poſſet, vt is, qui in paternis ædibus tam eximia ſpecimina virtutis & pietatis à parentibus dilectis

edi quotidie cernit, quique ſub diſciplina prudentiſſimorum parentum rudimenta ætatis depoſuit, & qui quodammodo ex vberibus matris eximiæ virtutis & prudentiæ laurea redimitæ perfectionem moralem videtur ſuxiſſe, degeneraret? Videmini ergo vobis & ipſam fortunam pedibus veſtris ſubiecisſe, quam hactenus ligatam in poteſtate habuiſtis, & neſcio ſanè, an illa ſi liberam emitteretis, elabi è veſtro amplexu & ſinu gauderet; non exiſtimo certè, adeò omnia vobis ex voto procedunt. Aſt vereor, ne altius veſtram hanc συμπραξίαν extollendò, proritem quaſi ipſam fortunam, vt vobis inuideat: ſed vanus eſt metus, cùm eandem ſolida baſi firmaueritis, vt concuti nequeat. Deum enim timetis, cuius hactenus benedictionem clementem experti eſtis, qui & in poſterum largietur, quo id, quod ſperatis, tanquam alter Tobias & Hanna, in filio veſtro, baculo ſenectutis conſequamini.

Videtis itaque viri conſultiſſimi & prudentiſſimi, quid me moueat, vt præ-

fecturam & defenſionem huius libelli vobis deferam: cùm enim tanta, quæ à vobis accepi beneficia, quo retribuam hoc tempore non habeam, placuit gratitudinis ſynceræ aliquod ſymbolum veteris obligationis memoriam refricans, tam diu apud vos reponere, donec & clementius à fortuna exceptus, hoc pignus reluam, & me libertati reſtituam. Hunc ergo hilari fronte excipite, & fouete libellum, me verò veſtri amantiſſimum priſtino amore vt perſequamini oro: Deum interim ſummis precibus obteſtans, vt veſtræ fœlicitati, (quæ certiſſimum & indubitatum de futura ineffabili præbet indicium) id quod eidem deeſt, clementer addere, vos veſtraſq; familias in Neſtoreos vſq; annos incolumes conſeruare dignetur. Valete ſuauiſſimè. Data Montisbelgardi ex Muſæo meo, ad diem 13. Auguſti, Anno 1605.

Veſtræ amplitud. & humanit. addictus

M. VVOLFFGANGVS SATTLERVS
Baſileenſis, LL. Studioſ.

SVM-

SVMMA CAPITVM SINGVLORVM IN HOC libello comprehensorum.

De neo

Ad Lectorem.

Humanissime Lector, licèt eam quam potuimus, dum ederemus hunc libellum, operam eò contulerimus, quòd prohiberemus, ne aliquod mendum hunc nostrum inuaderet libellum, idem tamen nobis contigit, quod plerisq;. Proinde notabiliora, quæ tunc temporis oculos nostros non fugiebant, subijcientes, ea ipsa & à nobis obseruata & improbata fuisse amicè monere voluimus: cætera, si quæ se obtulerint, tuo Marte, ne lectionem interrumpant, non grauaberis emendare. Vale.

ERRATA.

Pag.34 lin.15. lege coruscationes. pag.ead. lin. 28. coruscationibus. 35.4. Apollo. 87.25 pluuias. 123.20. esset decori. 152. 9. adde, qui. ead.10. dictus. ead.22 æqualem in 153 16. sit Dei. 181.8 idē nostro. 258.24 vicissitudinem. 290 28. dele, non. 302.2. Boreales. ead.15. dodecatemorias. ead.22. constitutæ. 312.9. [illegible] 332. lin 27. pro, Aquario, Libra. 394.14. Ratione.



ASTROLOGVS

Qui, pronoſticationum & prædictionum Aſtrologicarum, à quibus vis etiam deſideratam, perſpicuam rationem reddens, futilia fundamenta, ſynceræ & orthodoxæ Religioni contraria, à veris & genuinis ſecernit & ſegregat.

CAPVT I.

De præſtantia Aſtronomiæ, & confuſione Aſtrologiæ cum Magia.

QVantum & in quibus Aſtronomus ab Aſtrologo diſtet, manifeſtum & luce quodammodo meridiana clarius eſt; etenim, præterquàm quod Aſtronomiæ ſemper ſuus habitus ſit honor, Reges etiam, Principes non erubuêre, tam inſignem, ſubtiliſsimam, & homine, homine inquam digniſsimam ſcientiam tractare. Huius contemplatione, dum fruitur homo, ad aſtra, cœlum, planetas, exercitum illum Dei viuentis, & tandem, ex ſecunda cauſſam primam concludens, ad Iehouam creatorem, horumque omnium artificem ſapientiſsimum, oculos conuertit, mentem aduertit, ſapiētiam diuiniſsimam miratur, eaque admiratione conquieſcit.

Adeò autem contemplatiuum illud bonum practico illo, politiis, viro bono, ciuique proposito præferebatur, vt etiam Iudæum quendam per integram annorum pleiadem, monti cuidam ad obseruandos tres illos octauæ sphæræ motus, insidere firmato animo non tæduerit; tanta huic diuinæ contemplationi dulcedo & suauitas inest. Quo spectat allegorica illa sacrarum literarum enarratio de Cherubim, quem Iehouah expulsis primis nostris parentibus, cum acie gladij versatili præfecit horto Eden, vt temerè ingredientes arceret, & viam ducentem ad arborem vitæ sedulò obseruaret. Etenim ille ipse gladius, stellatum illud cælum, quod firmamentum vocatur, commodè dici potest, cuius contemplatio hominem à prauis voluptatibus, aliisque mundanis sordibus auocat, arcet, & prohibet: vt enim ipsius color cæruleus, oculis pergratus, ita quoque splendidissimis & micantibus stellis, diuersarum virium & virtutum, opificium Dei admirandum, prudentiamq; opificis satis perspicuè arguentibus, decoratum, distinctum & exornatum est. Hanc nobilissimam scientiam nouisse debet Astrologus, cùm sine ea vix aliquid certi prædicat, prædictione dependente ex motu astrorum planetarũq; positu. Verùm cùm nobis Astronomia non sit proposita,

lento

lento gradu nos conuertemus ad Astrologiam.

Astrologus dicitur ex Astrologia siue scientia, quam profitetur. Hoc nomen perse Græcum, non apud omnes omni tempore, maximè inertem plebeculam benè audiuit, eò quod inter id, quod apparet, speciemque veritatis habet, & id quod verum est, nequaquam potis erat distinguere. Adeò enim Magia cum ipsa Astrologia olim cõfundebatur, vt sæpissime Magis Mathematicorum delata fuerit nuncupatio, vti ex toto tit. C. de maleficis & mathematicis, clarum redditur, vbi Imperatores, Diocletianus & Maximianus in l. 2. C. eodẽ inquiunt, Artem Geometriæ discere atque exercere publicè vtile est: Ars autem Mathematica damnabilis est & interdicta omninò. Verũ inquies nullam injuriam passos Astrologos eo ipso, quod Magi, id est, sapientes appellarentur, cùm per se bonum nomen, nihilque præter sapientiam à quolibet appetendam sapiens & redolens sit dicaturque. Bona verba; nec enim diffiteor per se bonam esse Magiam, id est sapientiam, & appetibilem: verum per accidens à Professoribus ita corruptam & deprauatam affirmo, vt meritò Magia pro diabolica, nefanda, nequissima, illicita, damnabili & eliminanda arte sit reputata, & habita, vt apparet ex l. 4.

l.5.l.6.l.7.C.de malefic.& mathem.l.15.ff.de iniurijs;sed & anathematis fulmine persequuntur hanc artem Canones,eamque vetant exerceri. c. non oportet, c. siquis Episcopus, c. aliquanti c. Episcopi, &c. seq.c. nec mirum 26. q.5. adeo vt hodiè non artis, non scientię,sed criminis detestandi appellatione veniat, licèt maximi Imperatores huic arti operam dederint. Legimus enim apud Suetonium,Tiberium, Vespasianum, & Domitianum aliosq; Romanorum proceres insignes extitisse mathematicos,quibus etiam nō erat difficile magicis insistentibus superstitionibus cognoscere,qui post eos sit potiturus re Romana. Ita Tiberius Mathematicos Italia expulisse, veniam tamen deprecantibus & pollicentib. se artem desituros, dedisse, ex eodem auctore didicimus, licèt ipse maximus esset mathematicus,vt testatur hoc Ioseph⁹ de antiquit. lib.18.c.8. Is enim præuidisse refertur à Tacito annal.lib.6. Sergium Galbam tandem Imperium Romanum Imperatorem & moderatorem habiturum. Nec fefellit ipsum prędictio;post tres enim Imperatores Caiū Caligulam, Claudium & Neronem imperio præfectus est Galba.Hic idem Tiberius, ductus arte magica, deprehendebat Caium Caligulam,se mortuo imperaturum,filiumque eius trucidaturum, vt refert Iosephus de

de antiquit.lib.15.c.8. Quoties hic Imperator super negotio consultaret, edita domus parte, ac liberti vnius conscientia vtebatur. Is literarum ignarus, (referente Tacito) corpore valido, per auia ac dirupta (nam saxis domus imminet) præibat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset, & regredientem, si vanitatis aut fraudium suspicio incesserat, in subiectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Trasullus (qui erat magister Tiberij in ea arte) iisdem rupibus inductus, postquam percontantem commouerat, imperium ipsi & futura solerter patefaciens, interrogatur, an suam quoq; genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus syderum ac spatia dimensus, hærere primò, deinde pauescere, & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus, postremò exclamat; ambiguum sibi ac propè vltimum discrimen instare: tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum & incolumem fore gratatur, quæque dixerat oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

Verùm hęc nominum confusio inde manabat, quod Magi, magicis suis incantationibus & illicitis diuinationibus, titulum Mathematicæ iniquè præfigerent & manciparent. Vnde Cujacius, vir de studio Iuri-

dico optimè meritus. in paratit in Cod. tit. de malefi: & mathem. textus illos supra allegatos accipit de ijs, qui mathematicorum liberali nomine adumbrantes ineptias suas, profitentur se fata cuiusque nosse, & natalitias syderum obseruationes. Etenim hæc præcipua est eorum destinatio, vt casum hominis, eius mortem, genus, tempus, minutumq; moriendi, arcana, furta, magica sua arte referent & manifestent, quod non diffitetur I.C. Vlpianus in l.15.§.13.ff. de iniuriis & famos. libell. his verbis, Si quis Astrologus, vel qui aliquam illicitam diuinationem pollicetur, cõsultus, aliquem furem dixisset, qui non erat, iniuriarum cum eo agi non potest, sed constitutiones eos tenent; quod intelligendũ de constitutione notissima Constantij Imperatoris, quæ est l.5.C. de malefi. & mathem. Nec latuit hoc Alexandrum III Pontificem Romanum in c. ex tuarũ 2 ext. de sortilegiis, cuius seculo Presbyter quidam medio Astrolabij, notissimi Astronomorum instrumenti, furtum Ecclesiæ factum indagare non abhorruit, ac propterea à Patriarcha Grandensi excommunicatus est. Similem ad modũ testatur Suetonius in Tito c. 9. Titum Vespasianum duobus Patriciis periculum mortis imminens prædixisse. De Domitiano verò refert, c. 16. quod fatalem horam suam ad

vnguem

vnguem cognitam arte sua habuerit. Ita Iulio Cæsari Spurina aruspex fatalem horam prædixit, licèt optimè sciret horum omnium Cæsarem derisorem esse; eo ipso enim die, quo occubuisse dicitur, Spurinam irridens falsi arguit, quod sine vlla noxa Idus Martiæ, sibi tantoperè cauendæ adessent: quanquam is venisse quidem eas, sed non præteriisse diceret.

Sic Vespasianum tam certum de sua arte fuisse, prædicant Scriptores Romani, vt post assiduas in se cōiurationes ausus fuerit affirmare Senatui, aut filios sibi successuros, aut neminem.

Ratio verò obquam se tanti Imperatores huic arti dederint, non est obscura; quidam enim eorum nequissimam viuentes vitam, sibi malè conscij, suæ vitæ metuebant; quidam verò de successore solliciti, huic arti & studio se addixerunt; quidam denique malorum insidias metuentes, hac arte se malorum molitionibus obuiam ire, easdemque eludere posse, arbitrabantur. Miserè tamen omnes decepti, vtpotè cùm nullus eorum, licet hac miserabili arte præmunitus & vallatus, minimū eorum malorū, quæ portendebantur, euitare aut præcauere potuerit.

Quamuis itaque videatur ex locis Taciti & Suetonij colligi posse, hanc ipsorum artem astronomicis fundamentis & appa-

rentijs niti, attamen talia & similia arcana à sensibus & cognitione humanâ quàtenus humana, remota, ex astrorum positu, constellatione, aspectu motuque haberi non posse, dubium nullum est. Præterquam enim, quod astra in hominem, quatenus est homo, non habeant quicquam efficaciæ, cùm non sit ex elementis coagulatum id, quod hominem constituit formatum: accedit & id, quod Deus noster, creator omnium, fatali syderea necessitati tam impio & scelesto vinculo minimè sit alligandus; siquidem manifestè deprehendat Christianus homo, vitam & mortem hominis in Iehouæ manibus consistere: cùm ne quidem pilum è capite sine eius benigna voluntate in terram decidere, Christus ille saluator mundi prædicet. Hic idem ille est, qui honoranti parentes longam vitam promittat, impij verò dies contrahat. Hic idem ille est, qui hominis vitam certo numero dierum, vt limite, circumscribit, Geneseos c. 6. vers. 3. vbi inquit; Non disceptabit spiritus meus cum homine in seculum, eò quod sit etiam caro, erunt tamen dies eius centum & viginti anni. Arioli ergo illi siue Magi, contendēt ne, astrorum hodiè vim & efficaciam debilitatam, ordinē astrorū inuersum & immutatū, eò quod vita humana se in tam multos annos non extendat vt olim? ridiculum, non

non dicā absonum esset. Vnde Imperatores Romani, magicam artem diuinatoriā esse, palàm profitentur, siquidem fallax horum sæpissimè sępius sit iudicium, vt ex d.l.15.§.13.ff. de iniuriis, colligere difficilè non est; & certè Reipublicæ quam maximè interesset, hos impostores radicitùs euulsos esse, nec immeritò. Manassis. n. Regis Iudæorum Magia, incantationes & idololatriæ caussæ desertionis & desolationis Hierosolymitanæ fuerunt, teste Ieremia c.14. & 15. Disertè ergò à Iehoua Deuteronomij c. 18. vers. 10. prohibitum huius artis studium & exercitiū reperitur, Non inuenietur in te, inquit Moyses, qui transire faciat filium suum, aut filiam suam per ignē, diuinans diuinationes, præstigiator & augur, neque maleficus, neque incantator, neque interrogans Pythonem, neq; magus, neq; quærēs à mortuis; Abominatio enim est, quicunq; facit hęc, & propter abominationes istas Iehouah Deus tuus eiecit illas à facie tua. Nec propterea dicendum, artem ipsorum ideò non videri fallacem, eò quod semper prædictioni effectus corresponderit. Euenit enim sæpissimè improbo & superstitioso homini id quod timuit, puniturque per ea, per quæ peccauit. Ita nonnunquam ex certo decreto Deus laminipotens patitur, vt Cacodæmon horum vel illorum, quos Iehouah perdere destina-

uit, tanquam carnifex obitum præsciat, suisque cultoribus, vt inde magnam apud eos sibi autoritatem cóciliat, reuelet & manifestet. Ast cur hoc? hanc potestatem immundis spiritibus ideò dari, inquit Concilium, vt per vasa sibi apta, hoc est prauos homines seducat illos, qui spernunt veritatem & credunt mendacio.

Ex prædictis itaque luculenter apparet, Magorum proprium esse, eius appetere scientiam & cognitioné, quod nulla ratione eis cópetit inuestigare, quodq; licitâ via haberi nequit. Proinde, vt prædictionibus superstitiosis speciem veritatis affingant, licitę scientię fundamentis abutuntur Magi, eaq; ad suum propositum cum insigni & diabolica superstitione detorquent, adeò vt prędictiones illorũ collatæ cum his, omnem proportionem effugiant, æquè, ac si quis ex principiis Logicis demonstrare conaretur motum cæli esse perpetuum; aut seruitutem rusticorum prædiorum non posse præscribi: aut triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales: quæ quæso cóuenientia? quæ conclusionis necessitas? nulla ratione materiæ; cùm demonstratio alicuius rei ex diuersis disciplinis petenda non sit, nisi forsitan fuerint subalternæ. Idque ex diuersitate principiorum profluere, nemo est qui ambigat, cùm id quod

in vna

in vna scientia siue disciplina verum, in altera falsum esse posse deprehendatur.

Astrologus igitur est vir bonus, qui ex dispositione & configuratione astrorum, influentijs eorum ad amussim inspectis, aêris qualitatem, & hinc dependentes casus, ad commune ciuium & gentium bonum, prædicit.

Quamuis enim Astrologia meritò inter disciplinas contemplatiuas referri posſit, adeòque sua contemplatione acquiescat: hîc tamen nõ consideratur Astrologus, qua tenus tantum Astrologus, sed quatenus est vis bonus simul. Itaque non sibi tantum, verùm & patrię viuit, in quam suæ contemplationis fructum redundare ex animo cupit. Hic suis vtitur principiis, quæ fundantur in qualitatibus siue influentiis stellarum, quæ à posteriore medio effectuum, quamuis difficillimè & ægrè cogoscuntur: & ita principium Physicorũ, constanter affirmantium simplicibus corporibus cælestibus qualitates nullas inesse, non amplectuntur.

Certas enim & insignes quidem vires splendidisſimis & purissimis cęlestibus his corporibus inesse, ipsa satis euincit experientia. Nam præterquam quod Luna & Sol luceant, cunctaq; suo lumine illustrent, peculiares etiam vires humectandi & ex-

ſiccandi nacti ſunt;& reliquos prætereà planetas ſtellaſq; fixas admirãdo modo in hęc inferiora & ſublunaria agere deprehendimus, licèt Sol tantum natiuũ, proprium & inſitum lumen habeat,reliqui verò planetę ſtellæque ab eo tanquam vberimo lucis fonte ſuum mutuentur lumen.Et ideò non admittendã eorum rationẽ puto, qui perhibent Lunam,cęteraſque quaslibet ſtellas habere lumen proprium.Etenim quod Lunam concernit, illa luminare quidem eſt, Geneſ.c.1.ver.16.attamen non ſequitur proprium lumen ideo habere:non abſurdum, nihilominus eſt ſuo lumine illam illuminare,idque ob duplex lumen: quorum alterum eſt receptitium & immiſſum;alterum verò reſplendens & repercuſſum. Immiſſum in Lunam eſt Solis& alienum,reſplendens verò eſt Lunæ debile, quod repercuſſum vi corporis Lunaris rętorquetur in terram,non ſimplex&nudum,aliâs exſiccaret, ſed Lunare, hoc eſt qualificatum : nec alteratum, quia ęther ſecundum veras rationes phyſicas, nullam alterationem patitur,ſed tale,quale à Luna permittitur eſſe; quæ humidæ & frigidæ naturæ cùm ſit, has qualitates ſuo lumini impertit& tribuit.Tale Lumen profluit à Luna, beneficio tamen Solis, cuius præſentia corpus Lunare illuſtratur: quæ illuſtratio non principaliter à

Sole

Sole, ſed ab aptitudine lunaris corporis dependet, cùm fruſtrà Sol radiis ſuis feriret corpus lunare, niſi id aptum natumq; eſſet ad lumen recipiendum, vt in terra & quovis corpore opaco non obſcurè deprehenditur. Huic lumini ſeſe natura Lunæ, id eſt influẽtia à Deo creatore attributa, permiſcet, adeò vt, dum Solis lumen exſiccandi vim adeptum, hoc tamen contrariam ſortitum ſit virtutem & efficaciam. Talem permixtionem radiorum influentiarumque ipſi Aſtrologi paſſim, non modò affirmant, ſed etiam præſupponunt, adeò, vt ex radiorum vnione & permixtione illam vel hanc qualitatem aeri adſcribant. Deinde certum eſt Eclipſin Lunæ eſſe priuationem φῶς luminis in Luna, ob interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam: quę priuatio meritò non accideret, ſi Luna lumen proprium haberet; Nihil præterea color Lunæ eclipſatæ, tenebris vmbræque terreſtri involutæ, arguit. Nam primò color ille Lunæ eclipſatæ non eſt ſemper idem, ſed nunc intenſior nũc remiſſior, pro ratione ſitus corporis ſolaris in Eccentrico: Quò remotior enĩ Sol à terra, & quò proximior Apogæo, eò craſſior & latior ſeſe exhibet terreſtris vmbra; quò verò proximior terræ adeòque Perigæo, eò etiã tenuiores & reſtrictiores ſunt tenebræ terreſtres. Ex quo ſequitur in Luna priore

casu colorem intendi, in posteriore verò remitti, nunc hunc nunc illum nobis repræsentare. Hic tamen color remanens, non est lumen in Luna proprium: quis enim ex minimo illo lumine denominaret luminare minus? Sed est quædam luminis ambientis vmbram terrestrem resplendescentia, quod lumen ægrè collustrans densiores partes vmbræ, quadantenus se in corpore Lunæ pellucido recolligit, eumq; nobis colorem exprimit. Etenim nocte intempesta tempore serenissimo, Luna existente in coitu, deprehendimus aliquam illustrationem tenebrarum, licèt modicam, profluentem ex lumine eam ambiente, quę tamen adeo cælo nubibus vestito excluditur, vt etiam oculo admoto, acies eius hebescat. Ita crystallum in vmbra collocatum tamen ab aëre ambiente tenebras illustrato incenditur & aliquomodo illuminatur. Quantò ergo magis Lunare corpus nobilissimũ, splendoris aëris ambientis & collustrati impressionem qualemqualẽ recipiet? Ast luminare est? Fateor, non tamen ratione luminis proprij, sed emissi & retorti: Quemadmodum enim radios solares incidentes in speculũ aut crystallum, nõ dicimus crystalli radios, sed solis esse: ita ècõtrà radios reflexos non Solis, sed crystalli esse fatemur, causatos ex repercussione & retorsione in opposi

tum

tum, idque ratione aptitudinis, quę ſpeculo aut cryſtallino ineſt ad retorquendum. Et hęc mea de hac re ſententia, ſaluo tamen aliorum doctiore & magis elaborato judicio. De colore verò Eclipſis infrà agemus.

Solis autem & Lunæ præcipuum officium eſt conſtituere tempora & menſes. Ille quidem annum definit & menſurat: hæc verò menſes deſcribit & limitat. Anni partes quatuor ſunt, Ver, quod conſtituit Sol exiſtẽs in ♈ ♉ & ♊. Aeſtas quã Sol conficit in ♋ ♌ & ♍ gradiens. Sequitur hanc Autumnus, qui à Sole in ♎ ♏ & ♐ deſcribitur; tandem ſubſequitur triſtis & inhumana hyems, quam ſolis motus per ♑ ♒ & ♓ circumſcribit. Harum partium quælibet ſuam habet definitam naturam, quam largitur Sol oriens vel occidens, cum aſteriſmis ſtelliſque octauæ ſphæræ. Hæ qualitates naturales, euertuntur, vel adiuuantur, intenduntúrque à Planetis, præſertim tribus ſuperioribus, & quidem maximè duobus maleuolis Saturno & Marte, ob contrarias qualitates, quas inſitas habent & cauſſant in aëre. Et ita verificatur dictum illud antiquorum Aſtrologorum, Mutationem tempeſtatis plerunque fieri ſecundum ſuperiores.

Præcipuus autem labor Aſtrologi verſatur in excutienda & indaganda qualitate

aëris ambientis, quam si suis coloribus eleganter depingere possit, difficilè ei non erit & cæterarum electionum tempora idonea designare.

Cognitio autem qualitatis aêreæ est duplex; generalis alia, alia specialis. Generalis est vel totius anni, vel quartæ eiusdem; hæc habetur per themata specialia, illa per thema Vernale vniuersale, quod ab Astrologis ad tempus ingressus Solis in primũ minutum Arietis figuratur, cui thema Nouilunij proximè præcedentis, quod Præuentionale vocant, jungitur. Ex his eligunt & cooptant vulgò Almuten siue Dominum anni, secundum cuius dispensationem totius anni, vel quartæ qualitas sese habet, afficiturque.

CAPVT

Capvt II.

De electione Domini Anni, Quartæ vel Lunationis.

PTolomæus princeps ille Astronomorum & Astrologorum lib. 2. quadrip. c. 7. docet, Dominum tempestatis, genituræ &c. eligendum ex quatuor domib. cardinalibus, earumq; contentis signis esse, preferendumq; eum, qui in his potiores dignitates habeat. Dignitates autem aliæ sunt essentiales, aliæ accidentales; illæ vt potiores, ita quoque efficaciam Planetæ adaugent: hæ verò per se nihil, coadunatæ multum conferunt. Dominus Anni, aut tempestatis generalis idem Planeta dicitur, qui ratione fœlicis positus sui in reuolutione anni propositi, omnium efficacissimè vires suas in hæc inferiora, prę reliquis Planetis & stellis, toto illo anno & tempore exercere dicitur.

Cognito itaque & electo Domino anni, necnon fortitudinibus & debilitatibus reliquorum planetarum ex figura ingressus ☉ in ♈ ♋ ♎ ♑ examinatis, de fęlicitate & infælicitate Astrologorum opinione hominibus certorum Planetarum dominio subiectis, eo anno expectanda pronunciatur.

Verùm mihi acuratiùs fundamenta Astrologica inspicienti & trutinanti, hæc Domi-

ni & Almuten generalis, vel ſpecialis electio videtur parum quadrare ad principia vera aſtrologica.

Certum enim eſt & in tota Aſtrologia decantatũ, Planetam primò omnem efficaciam & energiam agendi in hæc inferiora habere ex loco in quo eſt, vel corpore, vel radio. Agit autem is vel motu vel lumine: motu quidem quatenus in hoc vel illo loco conſiſtit, non ſimpliciter, ſed ratione luminis, quo vtitur Planeta tanquam inſtrumento ad ciendas aëris diuerſas mutationes. Liquet deinde, præſtantiorem eum eſſe Planetam, qui fortius lumen & minus impeditũ habet. Fortis enim Planeta dicitur is, cuius aſpectus & radius ſine vllo obſtaculo operatur & agit in hæc inferiora. Talis vero is eſt, qui plures habet dignitates ex loco in quo eſt, vel corpore, vel radio. Sic liber à combuſtione habet dignitates quinque: in corde Solis itidem quinque: Directus, quatuor: Orientalis ex tribus ſuperioribus, ♄, ♃, ♂, duas, Occidentalis ex duobus inferioribus, duas: in domo ſua quinq;: in exaltatione quatuor; in triplicitate tres; in termino duas; in facie vnam; velox curſu, duas: in medio cæli quinque; in Horoſcopo, aut aſcendente itidem quinque; in domo ſeptima, quarta, vndecima, quatuor; in domo ſecũda & quinta, tres; in domo tertia & nona, duas

digni-

dignitates obtinet Planeta. Coniunctio ♃♀ quatuor; ſextilis verò ♃♀ tres; eorundem copulatio cum Regulo, aut Spica Virginis quinque dignitates parit. Hæc dignitatum computatio ſine debilitatum eorumdem Planetarum ex loco, vel motu obuenientiũ calculo non cõſiſtit. Combuſtus itaque Planeta habet debilitates quinque; Retrogradus itidem quinque; occidentalis ex ſuperioribus duas; orientalis ex inferioribus duas; in detrimento quinque; in Caſu quatuor, peregrinus quinque, tardus curſu duas, in domo duodecima quinque, in domo octaua & ſexta quatuor, coniunctio Saturni & Martis quinque; oppoſitio ♄ & ♂ quatuor; quadratus eorundem aſpectus tres; iunctio cum capite Algol ſiue Meduſæ quatuor; cum ☊ aut ☋ tres; in Eclipſi quinque debilitates obtinet.

Fortitudinem autẽ Planeta tunc acquirit, ſi prærogatiuâ plurium eſſentialium dignitatũ ſuperet & vincat cæteros, adeoq; ſuperior ratione operationis efficacioris exiſtat.

Conſtat denique vnam eſſentialem dignitatem plus valere, quàm decem accidentales, quæ per ſe nihil aut parum efficaciter operantur.

Hoc fundamento poſito, arbitror erroneum eſſe Planetæ adſcribere eſſentialem dignitatem ex eo loco, in quo nec corpore,

necradio est. Modus quidem talis expeditus eligendi Domini esset, si semper Planeta aliquis se in aliquo cardinum offerret, verùm cùm illud rarissimum sit, regula & axioma, tanquam ex contingenti raro, non debet exstrui. Eueniret enim hoc modo, Planetam eum in Dominum eligi, cui nec ex loco in quo est corpore, nec ex eo in quo est radio, vlla diginitas essentialis adscribi posset: à qua electione & ipsa natura videtur abhorrere. Non diffiteor, non magnam circa hæc puncta Cardinalia ingressus Solis in Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornũ, se offerre aëris mutationem, imò admirabilem: non tamen caussari dico eandẽ à Planeta, qui ratione corporalis constitutionis, aut radij, nullam adeptus est in themate dignitatem. De præsenti denique laboramus anno, tempore, mense, die, cuius gratiâ eligimus Dominum, qui ratione positus tempore constituti thematis, dicitur dominari qualitati aëris ambientis citerioris vlteriorisque. Quocirca cum demonstrari nequeat, cælestia corpora sine radiis aut motu operari, induci in eam sententiam me non patiar, vt diutiùs Ptolomæj eligendi dominum modo inhærea; Nec obstat superiorib. Mercurij patris ventorũ progressus, & regressus, qui plerunq; pluuias & ventos ciere fertur; quia primò mutatio illa est ef-

fectus

[sp]ectus processionis aut retrogradationis, quæ motui ita coniuncta, vt separari ab eo non possint: deinde Mercurius retrogradus aut directus non semper excitat in puncto regressus aut directionis ventos, quod satis superque ipsa testatur experientia; sed aliud accedat necesse est, quo adiutus vehementissimos ventos excitare, expertum habemus. Quid verò stationarius Planeta operatur? multum herclè, sed non ex alieno loco, in quo nec radio nec corpore est, sed ex eo ipso in quo stat. Statio autem nec motum nec lumen excludit, sed respectu motus velocioris siue tardi videtur stare Planeta, cùm tamen nunquam stet immobilis: verùm semper promoueatur, licèt tardissimè & insensibiliter, idque ratione motus Epicycli, cui corpus Planetæ affixum est. Ergo vt ipse Planeta motu accidentario, violento, non inducit mutationem: ita naturali suo motu beneficio luminis, locique vbi consistit, occasus & ortus cum stellis fixis corporalis, plurimùm momenti ad vicissitudinem in aëre inducendam habet. In limine itaque indagandæ qualitatis, & habitudinis aëris, sese offert labor & industria delineandi thematis generalis, vel totius anni, vel quartæ. Verùm, vt fatear ingenuè, non semper annus correspondet qualitati prædictæ: eò quod posito Domino an-

ni, reliquas efficacias cæterarum ſtellarum vinci & opprimi illius pręeminentia, quam operando obtinent, ſtatuendũ eſſet, cùm tamẽ ſpeciale generali derogare didicerimus.

Generalis itaque aëris deſignata qualitas applicanda erit ſpecialiori, ne nimium tribuentes Cronocratori, omnem efficaciam cùm occaſui & ortui ſtellarum fixarum cum Sole & Planetis, tum aſpectibus eorundem mutuis adimamus.

Quocirca Dominum anni quidam conſtituunt Planetam, qui eſt Dominus aſcendentis in Figura cœli ſub ingreſſum ſolis in Arietem: quorum ſententia amplectenda, ſi inſuper ille Planeta, qui eſt Dominus aſcendentis, in optimo cœli loco, vt in prima, decima, aut quarta domo, & in aliqua eſſentialium dignitatum conſtitutus reperiatur. Nam ſi ſecus acciderit, præferimus ei Planetam in aliqua eſſentiali dignitate & in cardine Figuræ exiſtentem; Vel dominium partimur inter eum, qui eſt in cardine aliquo ſine vllis dignitatibus eſſentialibus, & inter alterum quẽdam, qui dignitates quidem eſſentiales habet, ſed cœli minus commodo reperitur loco; ſin verò contingat, vt nulli Planetæ ſint in aliquo quatuor cardinum, tum præcipua ratio habenda eſt domus vndecimæ, ſecundæ, quintæ, octauæ, & dignitatum eſſentialium Planetarum.

CAP.

Caput III.

De Affectione duorum superiorum Planetarum, tempore ingressus Solis in Arietem; eiusq; significatione.

Ex affectione verò Planetarum duorum maximè superiorum, vulgus Astrologorum certorum hominum eo anno prędicere solet habitudinem; idque præsagium venantur ex positu duorum maleuolorum Planetarũ, Saturni nimirũ & Martis. Cuius axiomata, cùm in paucis à vera Astrologica prædictione aberrẽt, non dubitaui cõmunicata mihi olim ab amico colendo in hac re exercitatissimo, huc adscribere: qbus subiiciemus axiomata afflictionũ singulorũ Planetarũ: earumq; participationẽ & communicationem cum hominibus subnectemus.

Saturnus in Ariete tempore reuolutionis, prædicit ventos, interitus apum in Regionibus subiectis Arieti, caritatem itidem annonæ, vini & aromatum, latronum prædonumq; copiam. Dominus anni difficultatum caussa est, in latitudine septentrionali corruptionem & obscuritatem aëris, in meridionali frigus significat. Occidentalis terræ motum eo anno minatur. Orientalis, hominum corporibus grauedinem, ratione frigidarum distillationum inducit.

Saturnus in Tauro, res terra nascẽtes corrumpit, arbores proterit, medio verminũ & locustarũ.

Saturnus in Geminis, ventos & frigus causat, homines ad mendacia, jurgia, & homicidia excitat, stationarius morbos auget.

Saturnus in Cancro pluuias, pisces, & locustas inducit. Retrogradus nebulas in aëre, ventos vehementes, & motum maris efficit. Stationarius, morbos chronicos producit.

Saturnus in ♌ multarum pluuiarum genitor, occidentalis pestem, orientalis morbos, Retrogradus affligit res hominum, stationarius siccitatem portendit.

Saturnus in Virgine salubrem & bonum aërem idque in latitudine septentrionali, in meridionali verò siccitatem promittit. Eo orientali mulieres facilè abortiunt, occidentalis, febres multas subitaneas portendit.

Saturnus in Libra septentrionalis aërem calidum, & ventos salubres facit; orientalis concitat homines, medio humorum ad inaudita facinora.

Saturnus in Scorpione septentrionalis pluuias, & inundationes magnas, meridionalis famem & annonæ caritatem: Orientalis choleram & bilem concitat; Occidentalis turbat mare, Retrogradus, pestilentissimum efficit aërem.

Saturnus in Sagittario septentrionalis nym-

nymbos & pluuias multas, necnon frigus producit: Retrogradus ad bella armat.

Saturnus in Capricorno septentrionalis aërem temperatū & pluuiarum mediocritatem, meridionalis in hyeme nebulas & frigus; occidentalis locustas, ac ęstate calorem minatur; Retrogradus lites; Directus pacem & concordiam firmat.

Saturnus in Aquario septentrionalis pluuias & frigus maximū, meridionalis minus occidentalis inconstantiam aëris & turbationem maris, orientalis pluuias designat.

Saturnus in ♓ septentrionalis vehementes flatus, & frigus intensum tempore hyemali, efficit, meridionalis tēpestatibus concutit mare; orientalis ad lites, occidentalis ad seditionem armat.

De Marte verò subsequentia traduntur axiomata.

Mars in Ariete tēpore reuolutionis, vehemētes flatus & mutationes aëris, varios oculorū dolores, bella, oppresſiones oriētalis prædicit. Dominus anni & fortunatus annum fertilē promittit, in quo tamen pluuiæ, pestes & terræmotus erunt, septentrionalis calidū aërem, meridionalis tonitrua, fulgura, grandines, orientalis bella inter magnates, occidentalis seditiones mouet.

Mars in Tauro ventos nocētes fructibus & arboribus, fulmina, fulgura, nebulas, plu-

uias, & dolorem oculorum efficit.

Mars in Geminis incommoda hominibus ratione tonitruũ, fulminis & ſiccitatis, caloris, bellorum infert. Retrogradus diſſenſiones cauſſat.

Mars in Cancro naufragia ratione ventorum vehementium, lites, bella: ſeptentrionalis calorem, meridionalis ventos portendit.

Mars in Leone bella, lites, annonæ caritatem: Retrogradus ventos orientales, & fortunam in mari denotat.

Mars in Virgine ſeptentrionalis bella & annonæ copiam deſignat.

Mars in Libra ventos & morbos acutos, ſeptentrionalis grandines, meridionalis dolores lateris ſiniſtri hominis portendit.

Mars in Scorpione, nebulas, in æſtate calorem temperatum, in hyeme frigus aſperius, annonæ difficultatem, oculorum dolores & morbos minatur.

Mars in Sagittario pericula ex tuſsi, ophthalmia, & vermibus creat; intendit frigus ad apum interitum, & damnum arborum, ac herbarum, febres tertianas producit. Dolores capitis, & tuſſes pollicetur.

Mars in Capricorno, bella, morbos puerorum ſignificat. Directus annonam promouet.

Mars in Aquario multas pluuias, niues, annonæ

annonæ caritatem; & vini successum prosperum promittit.

Mars in Piscibus niues & pluuias; septentrionalis aërem salubrem & clarum pollicetur. Et hæc quidem axiomata, vim transitus Saturni & Martis per duodecim signa cælestia continentia & delineantia sunt, quibus tamen non per omnia fides adhibenda, sed eatenus tantum, quatenus à superstitione omni remota in qualitatibus & influentijs syderum fundantur; nūc paucis etiam de afflictione Planetarum agemus.

Afflictus Planeta dicitur is, qui extra essentialem dignitatem constitutus, à potente & efficaci Planeta inimico radio lęditur, aut omni dignitate exutus peregrinatur. Saturno afflicto homines saturnini, senes, auari, agricolæ, auri argentiq; fossores, lapicidę, figuli, monachi, Iudæi, vinitores, fœneratores, sutores infęliciter affligentur. Benè verò cū his agetur Saturno in figura potēte.

Iupiter si fuerit afflictus & infortunatus, Prælatis, Episcopis, Iurisconsultis, Iudicibus, nobilibus, præfectis prouinciarum, infortunium suum affricabit: contrarium benè affectus spondet.

Marte afflicto Duces, Capitanei exercituum, Bombardarij, fusores metallorum, Chirurgi, fabri, infælicem experientur fortunam.

Sole afflicto, Reges, Principes, Comites, & alij magistratū gerentes malè sehabebunt.

Venere afflicta, Musici, Pictores, Poetæ, proci, mulieriosi, choreis & conuiuiis dediti, Iubilares, malè tractabuntur.

Mercurio afflicto, Philosophi, Mathematici, Cancellarij, Mercatores, sculptores, & omnis denique generis artifices patientur damnum.

Luna afflicta, Reginæ, Viduę, Plebs, Nautæ, cursores, Legati, Nuncij, Piscatores & alij, qui in assiduo motu versantur, malè habebunt.

Et hæ quidem secundum vulgus Astrologorum afflictionum Planetarum vires, sed prorsus imaginatiuæ & superstitiosæ, ne dicam impiæ sunt. Præterquam enim, quod hæc conditionum & artificiorum humanorum prefectura, Planetis vnanimi hominum superstitiosorum consensu delata, erronea & ficta sit, proindeque nihil realis necessitatis inter planetam & artificem hominem causset: notissimum etiam est, quod Dei omnipotentis sit benedicere, aut maledicere laborantibus, horumque viam secundare; non quidem ad nutum astrorum, aut faciem cæli, sed liberè, nulla necessitate syderum adductus, nulla configuratione cœlestium corporum illectus, ex mera gratia, quâ gens humanum

clementer

clementer prosequitur & protegit, conseruat & propagat. Proinde Iacob à Deo, Gen. c.32. v. 27. benedictionem exigit, eamq; diuinitùs concessam, toties Propheta Dauid exosculatur in Psal. 127. & Psal. 128. adeò, vt ocyus hinc superstitiosi illi homines cũ suis superstitionibus facessere debeant, cùm hos schola veræ & orthodoxæ religionis neutiquam ferat & patiatur.

CAPVT IV.

De ortu & occasu Syderum.

NVllus certè est exercitatissimorum Astrologorum, qui mihi non hac in parte affirmanti calculum sit adiecturus, in meamq; sententiam tot annorum jugi experientia comprobatã, tot & tantis euentibus corroboratam & vallatam descensurus sit, maximam nimirùm, imò potissimã vim & energiam habere ortus & occasus syderum cum Sole in cienda tẽpestate. Etenim hos ipsos deprehendimus reipsa singulis anni temporibus qualitatem suam & temperiem communicare, & conferre. Hyems, frigida & humida à stellis Saturninis & Venereis, flatulenta à Mercurialibus efficitur. Aestas verò calida & sicca ob Martiales & Iouiales asterismos redditur. Ver, calidum & humidum ob Martiales, Vene-

reas & Lunares stellas efficitur : Autumnus deniq; frigidus & siccus ob Saturninas stellas , quibus cùm oritur & occidit Sol, deprehenditur

Hoc tamen ita sinistrè non est accipiendum, ac si non pluuiarũ hæc generalis constitutio aëris suis qualitatibus instructa, capax esset; cùm à potiore, principaliore, ac vincente qualitate Astrologus sagax denominet tempestatem. Nec semper pars anni quælibet suam naturalem retinet qualitatem, cum expeditum sit, aliquãdo vi Planetarum & stellarum in contrarium nitentiũ, hanc assignatam qualitatem in contrariam aut diuersam conuerti & transmutari. Hinc iam tanquam certa & indubitata hypothesi posita, diuersitas annorum, ratione temperamenti calidi sicci, humidi frigidi, aut calidi humidi, frigidi sicci; hinc caritas & difficultas: hinc vbertas annonę, hinc pestis, morborum popularium grassatio, hinc confusiones in hominibus, terrores in gentibus, inundationes aliaque incommoda calamitatesq; in mundo contingentes deducuntur. Etenim vt se habet aêr ambiens, ita quoque affectum est hominis temperamentum; aër crassus & densus inficit pulmonem, extorquet tussim, aliaque vitia ex humore superfluo phlegmatico prouenientia caussat & producit: sic aër squalidus,

æstuosus

æstuosus, mouet choleram, incendit jecur, febrium ardentium caussa certissima est; verùm hæc Medicorum scholæ relinquamus.

Sol oriens ergò, aut occidens cum capitibus Geminorum, efficit ventos, cum Pleiadibus aut Hyadibus, ventos, pluuias, & niues pro conditione temporis producit; ratio huius effectus hæc est, quòd naturam Martis & Lunæ, pluuiosorum planetarum habeant; cum Orione oriens aut occidens Sol ventos, tempestates, nebulas, niues, magnasque interdum pluuias mouet & excitat, cum Orionis stellæ plereq; tempestuosæ sint, naturam Martis & Mercurij habentes: similiter de stellis & asterismis aliis statuendum.

Lunæ ortus aut occasus cum stellis fixis, nihil aut parum momenti & vigoris habet in hæc inferiora & sublunaria. Cùm enim eius motus celerior, imò concitatissimus sit, vix est, vt tanta celeritate circumuecta, notabilem aeri imprimere posit mutationem; siquidem omnis mutatio inferior requirat temporis certum interuallum, nec fiat in instanti; semperq; vna operatio alteram præpediret, & ita nulla suas vires exerceret. Aliàs tamen vis eius miram in humores, tum corporis humani, tum aliorum animalium, rerumque: maximè verò in ac-

cessu & recessu Oceani luculenter depre-
henditur; In concitanda verò tempestate
nec Luna omninò debilis & minimè aculea
ta, sed & sua ipsi attributa vis est; Nam licèt
per se nihil moliatur, tamen mouenti adsti-
pulatur, & prona est ad inducendam aëri
humiditatem. Vnde Soli copulata, aspectu
maximè quadrato, aut opposito, adiuuat
Solem, qui aliâs per se tantum nihil, aut
non tam efficaciter operatus esset.

Cùm itaq; præcipua eius vis consistat in
humectatione, & in frigidatione, factum sa
pienti & mirabili cõsilio decretoq; diuino,
vt æstate terra Lunã haberet propinquiorẽ,
quô sua humiditate & frigiditate premens
eam, cuncta æstu & calore torrida & defecta
reuocaret, recrearet, & erigeret. Tempore
verò hyberno, vt eadem longiùs receden-
tem consequeretur, effecit Natura solers, ne
sua energia humectandi & infrigidandi no-
ciua è terra nascentibus esset, magis ta-
men infrigidaret, quò poros terrę constrin-
gens & continens conceptum calorem fo-
ueret.

Quis autem quæso adeò stupidus, & ex-
tra contemplationem cælestium est cor-
porum, qui non vnà cum Astrologis hanc
pulcherrimam vicissitudinem rerum, hunc
ordinem ac concentum, hanc demum har-
moniam corporum cælestium, & per hanc
creatoris

creatoris sapientiam & prudentiam ineffabilem, admiretur.

Quantum verò cæteri Planetæ cum stellis fixis orientes, vel occidentes efficacię habeant, vix dici potest, vt potè qui soli per se, maximè tamen aliorum testimonio adiuti, efficacissimè operari deprehendantur. Sunt ergò alij planetarum, qui cum asterismis congredientes nihil aut parum per se & soli efficiant: alij verò, qui & soli efficaciter, cum aliis verò sensibilem aëri imprimunt vicissitudinem. Præsupponendum enim meritò in hac diuina sciētia est, nihil frustrà à Deo, nihil sine virtute & potestate aliqua in hæc inferiora, conditum & creatum esse, cùm ipse stellas & asterismos octauæ sphæræ, exercitum & militiā cæli vocitet; & Arcturi, Orionis, & Pleiadum vim, efficaciamq; non obscurè describat Iobi, cap. 38. dicens. Nunquid cohibebis delicias Vergiliarum, aut contractiones Orionis aperies? Nunquid educes signa cælestia tempore suo, & Arcturum cum filiis deduces? In eandem sententiam inquit Iob. c. 9. vers. 9. Qui facit Arcturum, Oriona, & Pleiades, & penetralia Austri. Nec id tamen promiscuè accipiendum, sed ieiunum adferendum est iudicium, statioque Lunæ, eius ætas, & luminis incrementum, aut decrementum diligenter considerandum. Nouilunium enim

in hoc Hemisphærio nostro minùs aptum esse ad recipiendas aëris perturbationes; plenilunium verò magis idoneum, experientia satis euincit.

Notandum præterea ortum per plures dies, communi Astrologorum calculo operari: Occasum verò vno die & terminari, & fieri.

Occasus autem magis procliuis est ad excitandos ventos occidentales vehementes, quàm verò Ortus.

Ortus Saturninarum stellarũ Luna plena in vere, eaq; attestãte, maximè radio opposito, germinibus perniciẽ; cum Martialibus tepiditatem aeris, corruscationes, tonitrua, caloris augmentationem, frigoris relaxationem, pluuiasque minari deprehensum est. Caniculæ exortus æstum & morbos facit, relaxat frigus, intendit calorem; Delphinus cum stellis in Pegaso, & Hercule, fęlix est in mouendis tonitrubus, excitandisque corruscationibus. Ortus, vt generales constituantur regulę, maximè significat super caliditate & frigiditate, occasus verò super humidam & siccam qualitatem; stellæ, quæ in medio cæli sunt, vtrisque auxiliantur. Aquilæ itaq;, & Coronæ, Pleiadumque occasus, tum Delphini, Hyadumque, Arcturi, Capellę, & Orionis ortus nymbos, & procellas afferunt. Si tamen in serenum tem-

tempus inciderint, graues hyemes & horrida frigora denunciant. Procyon & Canicula siue Syrius, exoriētes, calorem ingentem faciunt, Appollo, & lucida Coronæ borealis, & quæ sunt in humeris Orionis, & Procyon ventos mouere solēt; stellæ vero Lancis, Lucida Hydræ, & dorsum Leonis, eiusdem cauda, stellæque Persei asterismum constituentes humidę sunt, & imbres mites mouent; quę verò in Pegaso, vt jam dictum, æstum faciunt & corruscationes. Præcipuè verò illæ, quæ sunt in ala Pegasi, referant Fauonium. Hercules malefica & æstuosa est stella. Quæ in Naui seu Argo sunt, mare exagitant, tempestatibus perflant. Et hæc quidem breuiter de natura Ortus & occasus stellarum fixarum dicta sufficiant, nunc verò de aspectibus Planetarum, tàm inter se, quàm ad Lunam; eorumque vi & efficacia in constituenda diuersitate, vicissitudineque tempestatis, aliquid dicēdum arbitror: reliqua ergò, quæ hîc desiderari possent, iudicio seduli lectoris excutienda relinquemus.

CAPVT V.

De vi & ενέργεια aspectuum.

ASpectuum, quos Græci σχηματισμὺς vocant, vulgò numerant quinque;

quamuis, si præcisè excutiantur, quatuor tantùm reperiantur, Oppositus nimirum Quadratus, Trigonus, & Sextilis, neglecta Coniunctione, quæ propriè aspectus non est; cùm aspectus sit certa distantia duarum vel plurium stellarum operantium quid medio radij. Ast Coniunctio, quæ est combinatio duorum planetarum, stellarumque in eadem longitudine, non est distantia. Sequitur ergò Coniunctionem non esse aspectum; vt ergò & Coniunctionem includamus aspectibus, dicendum, aspectum esse habitudinem certam planetarum, stellarumque inter se cooperantium aliquid. Hic est vel proprius, vel improprius. Proprius fit radio certa distantia affluente & miscente se radio aspicientis: talis est oppositus, quadratus, trigonus, sextilis; Improprius fit coniungendo, cùm sese duo Planetæ non aspiciunt, sed coniungunt, vel corporaliter, vel platicè; talis est ipsa Coniunctio. Hi aspectus omnes diuiduntur rursus in aspectus amicitiæ, & inimicitiæ; illa aut est perfecta, aut imperfecta. Perfectam amicitiam designat Sextilis & Trigonus. Imperfectam arguit Coniunctio. Hęc itidē aut est perfecta aut imperfecta. Perfectā denotat radius oppositus, imperfectā designat radius quadratus. Et hæc quidem deliria & somnia Astrologorum non sunt, sed verè deprehendi-

nus, radium directum obliquo validiorem & efficaciorem esse. Quò remotior enim est radiorum Planetarum se mutuò intuetium permixtio, eò languidior etiam est aëris impresio, & mutatio; quo proximior verò, eò efficacior & validior est eorum operatio.

Nunc facilimùm est hoc posito, elicere, quinam aspectus fortitudine, quam in hæc inferiora exercet, alterũ vincat. Euenit autẽ nonnunquam, vt aspectus sextilis, ex hac hypothesi omnium debilissimus, operatione vincat oppositum: non quidem quatenus est nudus aspectus sextilis, sed eatenus, quatenus in optimo cæli loco ad operandum aptissimo contingens, fortissimos testes habet. Post ortum itaque & occasum syderum in operando proximum obtinent locum aspectus, siue configurationes Planetarum cum Luna, siue inter se. Coniunctio quidem Planetarum, vt iam supra monuimus, propriè aspectus non est, coniunctos tamen radios in terram dirigendo detorquet, certamq́ue regionem terræ afficit enormiter. Oppositiò verò est fortissimus aspectus, maximè si ex vno eodemq́ue fiat gradu apud sydus eiusdem efficaciæ; cùm radij oppositorum cælestium corporum sese circa terram colligant, efficacissimeq́ue operentur. Platica oppositio autem difficilius mouet, turbatq́ue aërem.

Quadratus aſpectus etiam eſt inimicitię, licèt imperfectæ; proinde afficit quidem aërem, ſed fortem admodum, ob obliquitatem radiorum, eorumque diſtantiam à terra, effectum non habet.

Trigonus verò non mediocris operationis eſt. Is enim efficit, vt duorum Planetarum radij miſceantur propè terram, ſenſibiliter afficientes aërem. Cuius reſpectu aſpectus ſextilis eſt debiliſsimus. Hi aſpectus veniunt conſiderandi, aut ſimpliciter, aut coniunctè. Simpliciter conſiderati parùm, imò nihil momenti habent, ad viciſsitudinem in aëre excitandam, teſte quotidiana experiētia; cùm & peritiſsimos nimium his tribuentes fallant, & decipiant; præſertim verò ſtudioſo Aſtrologiæ imponant.

Non itaque ſto ex partibus illorum, qui his ſolis innixi, tempeſtatum viciſsitudinem ijs metiuntur & menſurant, cùm id quod minus fortem habet effectum, per fortius elidatur & impediatur. Hac de cauſſa aſpectus Saturni, præſertim Oppoſitus & Trigonus, frigidiorem reddit aërem, verùm non ſimpliciter, ſed Lunâ forti proximè plenilunio exiſtente, & tunc maximè, quando eadem apud ſtellam Saturninæ naturæ reperitur. Similiter Iouis aſpectus cum Luna ſerenat, & perpurgat aërē, ſuauiſsimos, hominiq; ſaluberrimos excitat ventos, quamuis pro-

uis pro natura temporis frigidiores:ſed nec hoc ſimpliciter, verùm pro ratione ſtationis, in qua conſiſtit tempore aſpectus.

Martis ad Lunam aſpectus tempore hyemali tepiditatem imprimit aëri, æſtiuo verò tempore efficit ſqualidum & moleſtum, promouet tonitrua, & corruſcationes: quamuis hæc non principaliter, ſed adiutus agat. Certiſsimum enim eſt, Planetam pro diuerſitate loci, diuerſos etiam habere effectus & operatrices vires; imò contrarias nonnunquam ex conditione manſionis ſortiri. Idq; omninò neceſſarium fuit, ne per identitatem operationis naſcentibus rebus damnum inferretur: ordo verò naturalis inuerteretur, qui viciſsitudini ita addictus eſt, vt nihil, quod naturale eſt, eam non amplectatur & exoſculetur. Veneris verò cum Luna aſpectus ſerenat aërẽ, magis tamen elicit humiditatẽ, per ſe nihil efficiens.

Mercurius cum Luna excitat ventos, cùm ſit Pater ventorum, & ſiccat aërem: ob mutabilitatem verò & inconſtantiam influentiæ, nunc hos nunc illos exerit effectus, in naturamque eius, cui applicatur, facilè degenerat.

Luna verò cum Sole congrediens, pro diuerſitate diſpoſitionis congreſſus, agit & operatur, nihil tamen per ſe.

Duo autem ſummi effectus horum aſpe-

ctuum sunt: vnus in humectando, alter in exsiccando deprehenditur. Prior contingit ex imbribus, pluuiis, rore, niue, grandine, pruina. Posterior fit calore & ęstu, aut nimio frigore, quo terræ pori obstructi materiam pluuiarum & humiditatis denegant.

Vnde quidam ob materiæ contingentiam, configurationes Planetarum non sortiri suos effectus tradunt. Quemadmodum enim, inquiunt, Statuarius statuam nullam efficere potest, nisi materiam ex qua congruentem habeat: Ita aspectus planetarum humidus, pluuias non elicit, si deficiat exhalatio, ex qua docente Aristotele in Meteorologicis c. 3. pluuia generatur: multò minus nix, si nimia frigiditas terræ poros cohibuerit, cælumq; concluserit. Verùm vt insistamus trito illi Physicorum axiomati, Naturam nihil facere frustra, dicendum erit, in Astrologia diuersitatem Regionum terræ considerandam esse. Etenim si aspectus contingat duorum Planetarum in Aegypto, siue sphæra recta, dubium nullum est, eundem in sphæra recta, quò ad humiditatem, ob defectum materiæ non operari, agere tamē eo loci, vbi potest. Locus autem omnis effectum alicuius constellationis ob defectum materiæ aut semper, aut aliquando respuit: si semper, certè, cùm Natura & Deus nil faciāt frustrà, aspectū eum, licèt

licèt in eo loco effectus eius non deprehendatur, non frustrà contingere, sed ad eandem regionem nec spectare nec pertinere, statuimus. Si aliquando, illud euenire dicimus non principaliter ratione materiæ, sed ratione fortioris aspectus, qui impedit alterius effectum.

Non itaq; natura hunc aspectum frustrà, cuius nullus deprehenditur effectus, sed reuera quantum in se fuit ad operandum effecit, licèt per accidens à præpotentiore impediatur: quod diligentis Astrologi excussioni relinquendum est.

Quicquid ergò illi ad materiæ contingentiam referunt, id industrij Astrologi prærogatiuæ alicuius fortioris constellationis adscribunt & appropriant. Aspectus ergò Veneris & Lunæ in Cancro ad pluuias procliuis, nil operatur, si Mars combustus in ♊ Soli coniungatur, cùm eius natura sit, vt combustus minuat pluuias: multò magis verò siccitas causabitur, si in signo sicco aut igneo hæc coniunctio contingat: quia tale signum, si non in totum, pro parte tamen cum eius qualitate conuenit: qualitas autem duplicata, vt fortior, ita facilè in conflictu superior euadit.

Ex quibus omnibus efficitur vim augmentatiuam & cooperatiuam hos lunares aspectus cum Planetis habere; principaliter

tamen & per se nihil efficere. Ex quo tanquam radice repullulat, ortus & occasus efficaciam omnem vim horum aspectuum coincidentium, nisi conformes sint, excludere. Etenim Ortus Delphini, aut Aquilæ tepiditatem aëri, maximè si Mars cum his oriatur, infert, vtpote stellis eius naturæ conformibus; aduersus hūc aspectus Saturni, licèt validissimi nullos habent aculeos. Est enim in operando quædā prærogatiua, quæ efficit, vt contrariarum operationum vna alteram excludat, & conformes coadunatæ fortiùs agant. Conformitas autem illa vel est in qualitate, aut in prerogatiua, interim pugnantibus qualitatibus. Prior habet vim adiuuandi & cōfortandi; posterior verò excludendi & repellendi: cùm alterum contrarium prærogatiua adiutum excludat contrarium minus priuilegiatum; vbi verò conformitas in priuilegiis est, qualitatibus interim contrariis, dubium non est, quin nō altera per alteram impedita tēperiē efficiat in aëre: vnde aspectùs Saturni in estate feruida tēperat aërē, & minùs molestum reddit. In pugna autem hac & conflictu qualitatum nonnunquam nocentissimæ, & horrendæ, præsertim æstate, tempestates exoriuntur. Quo ipso verificatur id, quod in Astrologia circumfertur, Cùm validæ constitutiones contrariorum Planetarum

netarum

netarum ſeſe offerunt, ventos cõtrarios excitari, inde imbrium congregationem, niuem, & grandinem prouenire. Hac tamen in parte ſignorum natura, ex quibus aſpicientium Planetarum radij deſiguntur in terram, ſcrupuloſè perquirenda. Faceſſant verò hinc ocyùs imaginaria; recipiãtur ſtellata, ſtellis diſtincta & depicta ſigna. Quod enim imaginarium eſt, id neutiquam producit ſenſibilem & naturalem effectum, cùm non entis nulla ſit qualitas. Aſt imaginarium ſignum eſt non ens, reſpectu realitatis, quæ ad operationem naturalem requiritur. Ergò nullum ſortitur effectum naturalem & ſenſibilem. Imaginaria autem ſigna vocãt dodecatemonias, id eſt, duodecim cęli, aut ſpharæ nonę ſecundum recentiores Aſtronomos, partes, quarum cuilibet ſuum ſignum adſcribunt. Verùm cùm puncta æquinoctiorum & ſolſtitiorum aliquot gradibus promota ſint, conſequitur magnam differẽtiam eſſe, præſertim hodierno die, inter ſtellata & imaginaria ſigna cæleſtia. Illorum vſus Aſtrologo, quatenus talis multum, horum nil prodeſt, illorum Aſtronomo nihil, horum maximè ad calculandos motus Planetarum vſus conducit. Itaque ſi Aſtrologus aſpectuum efficaciam diligenter excutere velit, eos reducit ad ſigna ſtellata, quæ reductio plus laboris, quàm ſubilitatis habet.

Imaginaria autem ſigna aſtrologo nihil prodeſſe ex eo liquet, quod is ex influentia ſtellarum reali, non verò imaginaria effectum ſenſibilem depromat.

Quod non modò in tempeſtatibus, verùm in electionibus diligenter attendendum. Nec nos auctoritas priſci ſtyli adeò mouere debet, vt eius amore falſum amplectentes, fumum oculis hominum offundamus, verum autem negligamus: quod eſſet contra conſcientiam facere; qui autem facit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, per notata in cap. literas. de reſtitut. ſpoliatorum; pulcrè Panormitanus in cap. officij. de pænitent. & remiſſ. n.4.

Rariores autem ſunt aſpectus mutui Planetarum ſex reliquorum, cùm ratione tarditatis motus, tùm etiam ratione retrogardationis: hi tamen efficaciſsimi ſunt.

Planetę cum Sole per aſpectum copulati energiam habent manifeſtam, modò diligens Aſtrologus hoc in caſu Ortum Solis, & occaſum, eiuſq; vim diligenter enucleat, perpendatque, nec neglectui habeat naturam & qualitatem temporis anni, in quod incidit.

Aſpectus Saturni cum Sole in principio veris, parit niues, & pluuias congelatas, tempuſque pronum ad pruinas, maximè ſi cum Serpentario, aut Cete Sol oriatur, occidatque

datque. Tempore æstiuo verò cum Orione oriens aut occidens tempestates, tonitrua, grandines & calamitates, & matutinum tempus frigidum efficit.

Tempore autumnali prædicit aduentantem hyemem: hyeme verò contingens, frigoris caussa est euidentissima. Quocirca Coniunctio Saturni & Martis Anno *1598*. diuturnas produxit pluuias, licèt ridiculè quidam ad Eclipsin, quæ in Februario cõtigerat hunc effectum retulerint. Ad eundem modum Quadratus Martis & Veneris profusissimas in Iulio eiusdem anni effudit, particulare quoddam diluuium efficiẽtes, imbres. Ad similẽ modum sextilis Iouis & Martis Anno 1605. pluuias continuas effecerat; non quidem per se, sed ratione asterismorum, cum quibus hi Planetæ oriebantur & occidebant. Quo posito saluatur ratio, ob quam non eadem semper tempestas à simili aspectu eorundem Planetarum causetur. Vt itaque fixo pedi insistamus, nostrum erit non tam naturam aspicientium inuicem se Planetarum siue stellarum erraticarum, quàm locum, in quo consistunt, diligenter contemplari & excutere, eumque conferre reductiuè cum loco astri orientis vel occidentis. Planioris intellectus gratià exemplum subiiciemus. Sole occidente cũ Hyadibus, quod in nostro Horizonte cir-

ca festum Diui Martini contingit, si tunc Mars, Venus, aut Luna, maximè tamen Mars, hunc quouis etiam radio intuitus fuerit, pluuiarum & niuium certus existit promissor, quia vis duplicata præsentia Martis fortiùs agit, & operatur, excitaturque ad validam aëris impressionem. His ergò præmissis dissoluitur & dubium illud, cur nimirùm multis licèt aspectibus Martis, Veneris, Saturni contingentibus, tamen aër non perturbetur, verùm in pristina tranquillitate perduret, donec à fortiore concutiatur Cronocratore.

De statione ante regressum contingente, & directione consequēte, hoc tantùm præmonendum putaui, quòd illa nil operetur per se, sed ratione loci Zodiaci vbi contingit, non neglectis interim incidentibus caussis habitudinibusq; reliquorum Planetarum. Regressio autem ad aquas, directio ad ventos aptior est. Mercurius itaque directionis in puncto excitat ventos, quando testibus confortatus, oritur aut occidit cum sydere ventoso. Mars efficit turbines, si eius directio cadat in locum tempestuosum & ventosum. Reliqui Planetæ tres afficiūt aërem retropedantes aut directi, sed non tàm impetuosè, vt duo priores. De ventis verò inferiùs videbimus.

Occidentalitas autem Planetæ in Marte

&

& Venere magnas habet vires; minus efficacitatis in aliis. Mars occidentalis pluuiosus est, annum humidum pollicetur, & nymbosum, quia fæminescit. Venus verò, dum redditur occidentalis, pluuias & ventos mouet. Orientales planetæ ad siccitatem magis procliues sunt; cùm & fortiores masculescant. Debiliores verò plerunque pluuias minantur.

Et hæc quidem breuissimè de energia aspectuum sunt dicta, nunc verò de electionibus agemus

CAPVT VI.

De Electionibus.

ELectionem vocant Astrologi tempus aptum & idoneum ad suscipiendum opus aliquod. Quo ipso Astrologus se virum bonum, de communi omnium incolumitate solicitum, profitetur, & non modò sanitati, (in qua quidam summum bonum, monente Aristotele lib. 1 Ethic. constituerunt) tuendę, sed eidem recuperandæ & consequendæ præscribit tempora. Nec in illo tamen cóquiescit; vlteriùs progrediendo digitum œconomicæ prouisioni inserit, tempora idonea agrum colendi, stercorandi, plantandi arbores, putandi vites, mactandi, castrandi seligit, selecta Diario suo insecit & incorporat. Ita è contra prohibet ad-

mittere medicinas tempore minùs opprotuno, neglecta regula Iurisconsultorum statuentium, id quod nõ reperiatur prohibitum, præsumi concessum. Euenit tamen nonnunquam, vt extra tempus cura suscepta magis officiat corpori, aliquando verò minùs. Hac in re tamen hoc pro certo statuendum (vt à cura humani corporis incipiamus) quod nimius calor & frigus curam differat. In omnibus etiam AEquinoctiis & solstitiis, coniunctionibus, oppositionibusq; Luminarium, item in omnibus Exortibus stellarum calidarum & præcipuè Caniculæ, Procyonis, Herculis & Capellæ, Pegasi, Cordisque Leonis cauere oportet ab omnibus violentis auxiliis, veluti purgatione, sectione venæ, exbihitione vini cum cortice ligni Indici, ac similibus, quantum fieri potest.

Necessitas autem nonnunquam aliud suadet, legemque non patitur; vnde Plato lib.10. de Republic. eam Deam facit, matrem Parcarum, quæ & ipsæ ineluctabiles & inexorabiles vocantur. Hoc tamen casu exigentis necessitatis, morbus, affectioque corporis capitalis, impedienda potiùs quàm retundenda omninò, eiusq; curatio in proximum opportunius tempus, quo cum insigni dexteritate, maiore vtilitate, syderumque commodiore applausu cura suscipi &

suscipi & peragi poterit, reseruanda. Notandum præterea est, periculosum esse admittere purgationem Luna ascendente in Circulo: quia tunc humores potiùs euocantur & extrahuntur ad superiora, quàm reprimuntur ad ima.

Omittendi verò sunt illi, qui ruminantia signa, Arietem, Capicornum, & Taurum cauere docent, cùm rei veritas cum fictitio, quò ad effectum, communionem nullam habeat; quod in Eclipsibus demonstrabitur inferiùs latiùs. Maleuolorum insuper Planetarum syzygiæ, præsertim fortes, in sumptione medicamentorum summoperè vitandæ, ne eneruatis viribus medicamenti eorundem maleuolentia, oleum & opera simul perdatur.

Hanc Astrologorum diligentiam Medicorum herculè nonnulli parum sibi in suis curationibus placere permittunt; vt potè quibus persuaderi vllo modo non potest, vt credant astrorum infælices aspectus cum Luna impedire corporis curationem. Verùm in omni ferè scientia & arte id ex communiter accidentibus est, vt derideatur & vili habeatur ab his, qui eam aut non intelligunt, aut scire nolunt. Lippis ac tonsoribus notissimũ est, Lunam maximam vim in elementa habere, & ea quæ ex his conflata & compacta sunt: in quorum numero

& corpora humana, eorumdemque humores & temperamenta ſunt, numeranturque. Iam præterea & conſtat, id quod plantæ reſpectu humoris eſt damnoſum, id vel multò magis vel modò æquè nocere plantæ in microcoſmo radices agente. Vtrumque enim corpus naturale elementatum ex humoribus conſtans eſt. Eo itaque tempore, quo humidum illud, quod plantis ineſt, vel augmentatur vel diminuitur, humores in corpore humano concitantur commouenturque ad eundem modum: quod in mulieribus menſtruo laborantibus demonſtrat Lemnius.

Quis autem ruſticorum agriculturæ tam imperitus eſt, qui Luna creſcente proxima Plenilunio putare arborem vellet? fuſtibus certe cædendus, curatorque ei dandus, qui inſtar furioſi, bonam & fructiferam arborem ſua incuria perdere deſtinaret, cùm interſit Reipublicæ ne quis ſua re abutatur.

Qua pæna dignum arbitramur patremfamiliâs, qui creſcente Luna hædos, ſues & boues caſtrare vellet? omnia enim, vt Plinius adſerit, tutiùs Luna decreſcente fiunt & expediuntur. Quis quæſo tam deprauati genij eſſet, qui adurente calore in Iunio, aut Iulio, arborem decorticaret, vel plantæ ſolis æſtu expoſitæ ſub meridiem ſumma in eſtate aquam affunderet? Nullus herculè

qui

qui mente constat hoc faceret. Et tu præstans illud subiectum artis medicæ, corpus humanum, nulla habita ratione temporis, qualitatis, caloris, frigorisuè, manifestis periculis exponere, tuâ indocta curâ pręcipitare, tuâ negligentiâ & importuno nocentissimoque astrorum influentiæ contemptu, non nisi inscitia oriundo, perdere non erubesceres? Nam licèt dolus, qui in l. Cornelia de siccariis requiritur, absit, tamen per latá culpam adest, cùm artifex nesciens ea, quę omnes eiusdẽ artificij artifices nouerunt, vel nouisse debent, se neutiquam hac sua ignorátia excusare possit. Decantatum autem vbique est, Medico Astrologię scientiam summoperè deosculandam & amplectendam esse.

Quis enim quęso rei medicę candidatus ab Astrologię placitis ita alienus est, vt quotannis non obseruet, quid astra efficiant, & quas vires exerant in terrena, concretaq; ex elementis corpora cælestes caussæ? sic vel ex plebe quiuis facilè perspexerit, Caniculæ ortum, atque ardentium stellarum congressum vrere corpora & siticulosa efficere, febres æstuosas excitare, siccitates & squalores inducere, sub qua tempestate, & cæli statu canes aguntur in rabiem, homines extenuatis resolutisque spiritibus flaccescunt & resoluuntur. Nec solum quic-

quid ſpirat ac vitale exiſtit his iniuriis expoſitum eſt : ſed inanima quæque atq; ipſa alimenta ex aëris ambientis qualitate noxam contrahunt & vitiantur.

Qua itaque quæſo fronte, qua conſcientiæ abdita titillatione horum contemptor, corpus humanum immatura ſuâ temeritate miſerè excarnificatum aſpiciet & contemplabitur?

Imperitia enim, (*inquit Iuſtinianus in* §. 7. Inſtit. de lege Aquil.) quoque culpæ adnumeratur, veluti ſi medicus ideò ſeruum tuum occiderit, quia malè eum ſecuerit, aut perperam ei medicamentum dederit : quo reſpicit ſanctum reſponſum Vlpiani in l. 6. §. 7. ff. de offic. præſid. ſicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet, ita quod p imperitiam cõmittit imputatur; prætextu enim humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo hominis innoxium eſſe non debet. Ex quo conſequitur, Medicum hæc, quæ à nullo ſolicito de vera & genuina reſtitutione ſanitatis ignorantur, aut ignorari debent, negligentem & contemnentem, ſi res malè cadat, ſuæ temeritati Reipublicæ nocentiſsimæ imputare, & proinde pæna conuenienti coerceri debere. Et quidem ſi doloſè egiſſe compertum ſit, gladio vltore feriendus tanquã ſicarius erit: l. 1. ff. ad l. Cor. de ſicari. §. 5. Inſt. de pub. iud.

iud. si verò per imperitiã mactauerit ęgrorũ tenetur cõstitutionis Caroli Quinti Imperatoris articulo 134. der Peinlichen Halsgerichts Ordnung/ cuius verba hæc sunt: Item/ So ein Artzt auß vnfleiß oder vnkunst/ vnd doch vnvorsetzlich/ jemandt mit seiner Artzney tödet/ erfindt sich dann durch die Gelehrten vnd verständigen der Artzney/ daß er die Artzney leichtfertiglich vnd verwegentlich mißbraucht/ oder sich vngegründter/ vnzuläßiger Artzney/ die jme nit gezimpt hat/ vnderstanden/ vnd damit einem zum Tod vrsach geben/ der soll nach gestalt vnnd gelegenheit der sachen/ vnd nach raht der Verständigen gestrafft werden: vnnd in disem fahl allermeist achtung gehabt werden auff leichtfertige Leuth/ die sich der Artzney vnderstehen/ vnd die mit keinem grund gelernet haben. Hett aber ein Artzt solche tödtung williglich gethan/ so wäre er als ein vorsetzlicher Mörder zustraffen. Quo casu communis doctorum calculus eũ arbitrio Iudicis extra ordinem coercendum committit in l. perspiciendum. §. delinquitur, ff. de pænis. Quatuor autem concurrere debent secundum Socinum in cap. tua nos. n. 1 & 2. ext. de homicidio, vt mors non imputetur Medico. Primum est, vt non excedat limites suæ professionis, quia culpa est se immiscere rei ad se non pertinenti, text in leg. culpa est. ff. de regul. iur. Alterum, vt sit peritus in arte; quia imperitia

culpæ adnumeratur: text. in l.imperitia.ff. de regul. iuris. Tertium est, vt sit diligens circa curam infirmi, text in ca. ad aures. ext. de ætat & qual. & c. final de homicid. Quartum, vt edoceat ægrotum de his quæ contraria sunt ægritudini suæ, text. in d.ca. ad aures. & d. ca. final. extra de homicidio. Hoc ipso enim Medicus, quod est Medicus offert & obtrudit suam operam ægrotantibus; ergo diligentiam exactissimam debet, arg. l. si merces. §: qui columnam. ff. locati: Quomodo verò diligentissimi nomine compellãdus, qui in corpore humano tentat, quod ne quidem in arbore, sue aut hædo experiri vellet? ad capitalem certè pœnam arbitrium iudicis iusti descendere deberet, cùm vita ægroti in oculis medici debeat esse prætiosa, vtpotè cuius curæ, diligentiæ, & fidei commissa, & concredita est. Meritò verò arbitrium Iudicis liberum, æquum tamen ad hanc vsq; pœnam procedere posset, cùm versetur in delicto morte digno, quo casu Iudex, vt arbiter, saluâ religione, integra & illibata conscientia, in sententia ad mortem peruenire potest, Marant. de ordine iudic. part. 4. disp. 1. n. 45. & disp. 3. n. 17. Felin. Decius in c. ex literis, ext. de cõstitut. Cag. l. vn. n. 7. ff. si quis ius dicen. non obtẽper. fac. l. hodie. l. perspiciendum. ff. de pœnis, ca. is qui. ext. de sent. excommun

mun. Verùm non omnes tantæ verecundiæ ſunt, quantæ fuit laudatiſsimus Anatomicus Veſalius; qui cùm ſectionem matronæ nobilis hyſterica paſsione vexatæ, in Hiſpania perperam ſuſcepiſſet, pudore perfuſus, ſponte in exilium abiit, in eoque diem obiit.

Verùm ita hæc nobiliſsima ars profanata eſt, vt & quęlibet mulierculę hâc grauem artem exercere ſibi præſumant. De arte loquor medica, non obſtetricia, quæ viros nõ patitur.

Proinde cùm Athenienſes lege cauiſſent ne quis ſeruus, aut fæmina artem medicam diſceret, eamq́; ob rem antiqui non habuiſſent obſtetrices, eueniebat, vt pleræq; mulieres verecundiâ ductæ, dum mares medicos adhibere nollent, curandis partibus quibus mulieres ſunt, interirent: vt non abs re etiam poſtmodum medicinam facere permiſſum ſit mulieribus. Verùm ſutor non vltra crepidam. Nam hæ mulieres medicæ vt eſt in Baſilicis ad l. penult. C. de poſth. hæred. inſtituend. *ἰατρεῦναις*, aſſę, vel obſtetrices ſunt, quę manibus naſcentes excipiunt, & mulieribus ægrotis medicamenta ſupponunt; de quarum, vt & medicorum mercedibus etiam extra ordinem ius dici, ait l. *1. §. 1.* extraordinar. cognit. & eis non minùs quam maribus medicis imputari culpam,

ſi quæ noxia medicamenta ſuppoſuerint, aut dedernit, affirmat l.item ſi obſtetrix. ff. ad l. Aquiliam.

Proinde Xenophonte teſte in Oeconomicis, mulierum proprium eſt, domi conſidere inſtar diligentis apiculæ, familiariq́ue rei intentam eſſe, colum & fuſum tractare, ſanitatiſq́ue familiæ curam habere, non medicinam profiteri, eamq́ue citra vllam rationem temporis quibuslibet obtrudere, quemadmodum quædam ſtrygibus non diſsimiles vetulæ factitare ſolent. Quocircà optimè conſultum Reipublicæ eſſet, ſi nulla fæminarũ, præter eas, quarum fides, probitas & experiẽtia adprobata publicè magiſtratui eſſet, mulierib. parturiẽtibus medicamẽta prębereт: hoc enim modo ciuibus ciuitas repleretur, & cũ mulieribus ægrotis męliùs ageretur. Verùm vt ad nos redeamus, extra omnem rationem eſt opinio illorum, qui ſibi ſomnio quodam inducti perſuadent, corporum cæleſtium influentiam nihil, imò parum efficaciæ in corpus humanum habere: ſiquidem præſtantiſsimum omnibuſq́ue aliis præferendum ſit. Verùm vt hunc aculeum retundamus, ſciendum eſt, hominem ex duabus potiſsimũm conſtare partibus, Materia, & Forma: Formæ rationem obtinet ipſa anima, licèt per ſe non ſit forma phyſica: Forma enim

phyſica

physica non subsistit per se, sed in alio,& est à materia inseparabilis ; at anima hominis est substantia completa, id est, ita est altera substantiæ hominis pars, vt actu, seu re ipsa etiam per se subsistat & à corpore sit separabilis, vt doctissimus philosophus Goclenius in suis Metaphysicis disputationibus demonstrat. Itaq;, vt corpus hominis suam, sic anima quoque suam formam habet;& tamen anima, seu mens hominis forma dicitur, quatenus hominem perficit. In hanc, vti nobilissilimam & diuinissimam ὀσίαν, ex elementis minimè concretam, astra quidem nullam habent vim principaliter, sed in consequentiam quatenus συμπάθειαν habet cũ corpore. Materiæ rationem habet corpus, ex quatuor elemẽtis coagmentatum & concretum, in quod eatenus, quatenus elementatũ, humoribusq; suis definitis constat, agunt cęlestes constitutiones. Et hæc quidem sese ita habent, nisi morbi acrimonia & vehementia aliud suadeat. Nec enim Medici, quamuis dira minentur astra, inquit Lemnius, quamuis syderum aspectus formidabilis existat, sibi moras iniici patiuntur, aut à legitima curandi ratione absistunt, sed cùm morbus vrget & infestus est, omnia quæ dictat ratio, quæ suadet experientia, (quibus duobus tota medicina nititur) non segni-

ter circa ægrotum moliuntur, nec à venæ sectione deterrentur, in ea etiamnum parte corporis, cui Luna insistit ac immoratur.

Curatio autem corporis aut suscipitur sanitatis, aut voluptatis munditieique gratia. De priore diximus; quod hanc verò concernit, ea cùm sit ex indifferentibus, in ea non ita periculosa est temporis idonei neglectio, vt sunt balneæ, crinium vnguiumque resectio.

In hanc seriem τῶν μέσων & indifferentiũ referri possunt, & opera rustica, agricultura, stercoratio, seminatio, plantatio, putatio arborum & vitium, collectio fructuum &c. quamuis & his electionibus deputatum tempus seruare, diligentis & curiosi patris familiâs sit. In incisione autem venæ, membroque obseruanda est Luna signumq; cæleste, cui insistit, quia læsio membri, cui tunc temporis dominatur Luna, admodùm periculosa est, si distributioni partium corporis adsignatarum signis cælestibus credimus & fidẽ adhibemus. In hac verò materia electionum quidam Astrologorũ superstitiosiores sunt, quam par est; siquidem tempus nubendi, coeundi, tradendi pueros prę ceptoribus, colloquendi cum proceribus, sacerdotibus, tractandi cum rusticis, negotiandi &c. etiam inquirãt, sed perperam. E-

tenim

tenim quid aſtris cum benedictione nuptiarum; cùm nuptiis benedicat Deus, non aſtra aut ſydera. Geneſ. cap. 23. verſ. 7. vbi Abraham ait: Iehouah Deus cæli, qui tulit me è domo patris mei, & è terra cognationis meæ, locutuſque eſt mihi, quique iurauit mihi dicẽdo; ſemini tuo dabo terram hanc, ipſe mittet Angelum ſuum antè te, & accipies vxorem filio meo inde. Idem inculcat Raphael, Tobiæ cap. 6. verſ. 22. inquiens; Tranſacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris. Idem Iſaac cùm Iacobum in Meſopotamiam ablegaſſet præcinit.

Quid ſtellulæ cohabitationi viri cum muliere, quo ad animã nati, intellectumq; ſynceriorem conferunt? cùm Deus ſit ille, qui vitam nati ex mera gratia diſponat, reformet, conceptionemq; ſecundet. Quam quæſo Aſtrorum obſeruationes fælicitatem traditioni puerorum præceptoribus adferunt? cùm hanc nominis diuini ſuper filiis inuocatio aſsidua operetur?

Quam gratiam deinde aſtra conciliant colloquenti cum proceribus? quam Deum largiri ſolere, non aſtra, etiam Moyſis & Aaronis exemplo affirmatur conſtãter. Quid tandem aſtris cum tractationibus ruſtico-

rũm, Sacerdotum, & mercatorum negotii est? cùm timenti Iehouam in omnibus, quę agit, benedicetur, vt testatur Psalmographus in Psa.128.vers.4. Ecce, inquit, certè sic benedicetur vir, qui timet Iehouam. Et licèt quidem hæ, & similes superstitiosæ & inutiles diuinationes, prima facie nociuæ non videantur, attamen eorum propriũ est, hominẽ à Deo benefactore, eiusq; cultura auocare, conuertere verò ad creaturas, earumq; venerationem, quibus tamen vis hæc non nisi diaboli ex inspiratione, à superstitiosis hominibus perperam attributa est. Hæ incertæ & imposibiles prædictiones semper derogarunt auctoritati Astrologiæ, eamq; nomine Magiæ insigniri effecerunt; Quam maculam si velimus tàm nobilissimæ & diuinissimæ scientiæ abstergi, necesse est, vt hæc & alia minus homini eiusq; captui, quatenus artem humanam profitetur, conueniunt, vitemus, vt potè quę supra captum humanum sunt, nec prædici, nisi supernaturali modo possint. Nec etiam existimandum, Astrologum in licitis & possibilibus prædictionibus versantem, secundariæ caussæ adscribere ea, quæ erant primæ, nempe Deo almipotenti adscribenda, cùm longè aliud sit, adscribere quid alicui, vt caussę primæ; aliud attribuere quid alicui, vt caussæ dependẽti. Posteriore modo meteora, mu-

tationes

tationes tempestatum, omnemque vicissitudinem, Astrologus adscribit astris, hoc axiomate præsupposito, secundam caussam succumbere primariæ. Hinc longè diuersum consequitur, si de medio loquamur, quo Deus hominis mentem ad dotes sapientiæ, intellectus, subtilitatis genuinæ, & virtutis, suscipiendas erigere solet. Tale enim medium non sunt astra, licèt de temperamento legitimo, vel illegitimo aliquid videantur promittere; aliud itaq; medium huius diuinissimæ actionis sit necesse est: illuminatio nempe Spiritus sacrosancti, cuius communicatio, pręeunte timore Dei almipotentis, ex mera eius gratia & ineffabili clementia profluit. Huius medio, auxilioque sacrosancto homo dominatur deprauatæ & vitiosæ voluntati, quæ semper ad mala procliuis, ad voluptates capitales propensa, illecebrarum diaboli cupidissima, in totumq; corrupta est, adeò, vt ne homo quidem quicquam ex se boni cogitare possit. Perfectionem itaq; intellectus, quę cōsistit in sapientia, & prudentia, largitur Deus, non medio astrorū, verùm medio Spiritus sacrosancti, cuius beneficio homo sapientiam prudentiamque admirabilem consequitur: quod etiam Iosephus, & Daniel, somniorum expositores acutissimi & subtilissimi fatentur; confirmat verò satis

superque Salomonis admirabilis solertia. Bonitaté verò hominis alicuius, quàm exercet in vita, multò minus caussari ab astris, principia veræ religionis euincunt; siquidem ea in bonis operibus consistat, bona opera verò sint ex fide : cùm nullum vocemus bonum opus, quod nō sit consentaneum fidei Christianæ; hæc autem fides habetur ex verbo gratiæ, interprete & cooperatore Spiritu sancto, qui per verbum salutiferum operatur in animis electorum, efficitq; fidem in Iesum Christum saluatorem generis humani; cuius effectus proximi sunt opera charitatis, eorundemque illa synectica existit caussa. Diuersum si amplecteremur, id non modò absurdum, sed & impium consequeretur, in hominis nimirum eligētis bonam constellationem astrorum potestate esse, bonum vel malum filium procreare: quod idem obuiaret & ei, quod communiter dicitur, filios futuros similes parentibus text. in leg. quisquis. §. filij. & in leg. cum vnus. ff. de alimentis & cibariis legatis. Castrens. consil. 311. n. 3. vol. 1. vnde in prouerbium abiit, Nunquam ex malo patre bonum filium nasci; item, mali corui malum ouum esse: quo spectat & vulgaris versiculus:

Sæpe solet similis filius esse patri.

Ita pauci filij patre meliores, plures peiores sunt

ſunt, de qua re vide Aelium Spartianum in vita Seueri Imperatoris: Eraſmum in Chiliadibus, Heroum filij noxæ, & Valerium Maxim. lib. 3. cap. 5. de iis, qui à parentibus claris degenerauerunt. Et Horatius lib. 4. carminum Oda 4. eleganter ſcribit.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectiq; cultus pectora roborant:
Vtcunq; defecere mores
Dedecorant bene nata culpæ

Idem libro tertio Carm. Od. 6.

Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Accedit huc & id, quod ſuprà diximus, Planetas ſiue aſtra in animum hominis, è cuius habitudine bonitas, vel malitia diiudicatur, tanquam diuiniſsimam οὐσίαν & ſubſtantiam, nullum habere dominium. Licèt etiam concedamus, philoſophicè verum eſſe, pro qualitate & quantitate temperamenti corporis humani, dexteritatem ingenij intendi vel remitti; Theologica tamen veritas id ipſum falſum eſſe euincit, vtpote cùm dexteritas ingenij à longè diuiniore principio, quàm aſtris dependeat: vt

iam ſupra fuſiùs demonſtratum fuit. Naturâ
alacres, ſagaces, & dextros quoſdam eſſe
concedo, idq́ue ratione legitimi & con-
gruentis temperamenti; nego tamen eoſ-
dē natura virtuoſos, pios, & religioſos, pru-
dentes & ſapientes eſſe. Alacritas & ſoler-
tia conſiſtit in temperamento, & longiſsi-
mè à prudentia & ſapientia diſcrepat: virtus
verò, pietas & religio, ſapientia & pruden-
tia in anima, præſtantiſsima parte corpo-
ris, radices agunt. Illa vitiato temperamen-
to corrumpitur, hæc corrupto animo non
niſi deperditur, quale quid in furioſo con-
tingere videmus, illoq́ue qui plurimis hu-
moribus abundat; Illa & cum brutis homini
aliquando communis eſt, vt teſtatur Ariſto-
teles lib. 6. Ethic. ca. 13. & malis hominibus
æquè, vt bonis conuenit, eſtq́ue diſpoſitio
ſubiecti: hæc ſolius hominis, & quidem in-
ter illos boni tantum: Ἀδύνατον γὰρ φρόνιμον εἶναι,
μὴ ὄντα ἀγαθόν, vt inquit Ariſtoteles. Illa ple-
runque mala & vituperabilis, quæ finem &
ſcopum propoſitum malis mediis cona-
tur obtinere; qua de cauſſa in homine ple-
runque, ſi reperiatur ſola, πανουργία, verſutia,
calliditas, aſtutia, & malitia vocatur, vt in
c. vlt. ext. de deſponſ. impub. quam à na-
tura homini ineſſe, cùm non diffiteatur ſa-
cra ſcriptura, imò per parentes in poſteros
propagetur, quid aſtrorū conſtellationes in
hac

hac communicanda liberis obseruamus, sufficiente malitia paterna? Verùm tales Astrologos rectè arguit Tacitus, dum dicit, Mathematicos (sic enim eos vulgò nominant) genus hominũ principibus infidum, credentib. fallax, à ciuitate Romana semper prohiberi, expelli verò nunquam. Illi ipsi sunt, qui in Alexandria vectigal blacenomion, à stultitia sic nuncupatum, persoluebant, quia ex ingeniosa stultitia quæstum facerent, nec nisi stulti & temerarij homines illos consulere soleant. Pertinax profectò & præposterum genus, futura se præscire qui profiteantur, præteritorum & præsentium ignari; & cùm omnibus omnia occultissima se dicturos profiteantur, quid in propria domo, quid in thalamo fiat sæpissimè nesciunt: cuius modi Astrologum Morus Anglicus epigrammate perpulcro taxauit. Porrò Astrologiam hanc diuinatoriam, sicut splendidissimi quiq; explodunt Philosophi, sic Moyses, Esaias, Iob, Ieremias, cæterique antiquæ legis detestantur Prophetæ, & è Catholicis Dd. Augustinus illam à Christiana religione expellendam censet; Hieronymus vocat Idololatriam, rident eam Basilius & Cyprianus, refutant Chrysostomus, Eusebius, & Lactantius, inuehuntur Gregorius, Ambrosius, ac Seuerianus sanctumque Toletanum Conci-

lium eam prohibet, damnataq; etiam in synodo Martini, & abs Gregorio iuniore & Alexandro tertio pontificibus anathematizata est, & à ciuilibus Imperatoribus legibus punita. Apud veteres Romanos, sub Tiberio, Vitellio, Diocletiano, Constantino, Gratiano, Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus vrbe prohibita, eiecta & punita est. Carolus demum Quintus, Imperator laudatissimus, & sua constitutione criminali eos persequitur articulo 21. qui sic habet. Item/es soll auch auff der anzeigen/die auß Zauberey/ oder anderen Künsten warsagen sich anmassen/niemandts zu Gefängnuß oder peinlicher Frag angenommen / sonder dieselbigen angemaßten Warsager vnd Ankläger sollen darumb gestrafft werden. Quibus omnibus docemur Astrologiam egredientem sua principia genuina, semper à piis Imperatoribus, Monarchis & Regibus fuisse coërcitam & prohibitam omninò, licet aliàs vsus ob abusum tolli non debeat, Panormitan. in cap. 1. de cleric. venat. Verùm ne magi illi improbissimi suis inconditis, improbatis, fallacibusque diuinationibus & prædictionibus prætextum vsus Mathematicæ præfigerent, Mathematicam in totum damnatam fuisse arguit l. 2. C. de malef. & math. quod non de Geometria, aut Arithmetica d. leg. 2. C. de malefi. & math. sed Astrologia iudi-

iudiciaria accipiendum eſt. Et hæc de electionibus dicta sufficiant.

CAPVT VII.

De Electione certorum dierum.

VEriſsimum eſt, diabolum antiquum illum humanæ fælicitatis inſidiatorem, omnem ſemper eò contuliſſe operam & ſtudium quò hominem à veneratione Maieſtatis diuinæ, ad culturam creaturæ impellere, inuitareq; poſsit. Ita verbis certis, & finitis caracteribus vim ſingularem, ſic horis ſuam efficaciam, ſic diebus certis virtutem peculiarem ſubdolè & fraudulenter affingit & adſcribit. Eodem modo & ratione Stryges decipit dum certam vnguento aut cadaueri animalis ſublimine ſepulto. effectum certum attribuit.

Quocirca & inter Aſtrologos, licèt Aegyptiacorum dierum obſeruatio prohibita ſit, reperiuntur quidam, qui diebus certis electionem operis vel perſuadeāt, vel prohibeant, non quidem poſitu aſtrorum, ſed nuda dierum obſeruatione illecti. Ita quidam, quem priore ſeculo tota admirabatur Germania, ſecare ligna (quę nunquam quouis loco licèt immerſa terræ vel aquæ, putreſcere velis) tertio, nono, & decimoquinto die Februarii iubet, idque ſeſe didiciſſe

ab incolis nouæ terræ Peruanæ profitetur. Similiter fatetur Concilium Toletanum, c. non liceat. 26. q. 5. mulieres Christianas in suis lanificiis obseruare vanitates. Ita in aliis rei familiaris electionibus diem Veneris laudant, praua tamen & impia consuetudine. Eiusmodi enim obseruationes superstitiosæ sub comminatione pęnæ capitalis prohibitæ sunt, Leuiti cap. 19. vers. 31. c. 20. v. 6. & ver. 27. Numeri c. 23. v. 23. disertè verò Deuteronomi; ca. 18. ver. 9. & 10. Isaiæ cap. 2. ver. 6. Michææ ca. 5. vers. 12. quibus in locis Spiritus sanctus apertis verbis vetat, ne dies certi operis peractioni destinentur superstitiosa electione intercedente. Nec etiam excusat Christianos alterius fortássis gentis obseruatio; quia nec Deus voluit Iudæos hac excusatione defendi, vt ex suprà citatis locis manifestum redditur; quod nec D. Augustinus diffitetur in suo Enchiridio, ca. 29. qui obseruat ventos, inquit Ecclesiastes, is non seminat: & qui nubes considerat, non metit is, maturè semina, nescis enim, an hoc vel illud prouenturum sit.

Quocircà & concilium Toletanum vetat, ne in collectionibus herbarum medicinalium aliquæ obseruationes aut incantationes attendantur, nisi tantum cum symbolo diuino, aut oratione dominica, vt Deus crea-

us creator omnium & dominus honoretur.

Quidam verò æquè superstitiosi non verentur affirmare, quòd si in diem octauum Iunij Medardo consecratum incidant pluuiæ, plerunque per quadraginta dierum spatium continuari, idq; ex veterum obseruatione posteritati relictum: bella hercule hæreditas, pulcrior tamen successio. Nam licèt occasus Canis minoris in eum recidat diem, tamen occasus eius vis in quadraginta dies non extenditur, sed plerunque & vno die fit, & vno finitur.

Non autem exigua superstitione laborat obseruatio, & inspectio Gallarum, quas glandiferæ arbores pariunt; cuius figmenti Ranzouius, (vir aliàs doctissimus,) acerrimus in suo Calendario Astronomico est assertor, & propagator. Inquit enim, si post festum Michaëlis in globulis Gallarum reperiuntur vermiculi, vbertatem frugum promittunt, si muscæ, portendunt bella, si aranei, minitantur pestem. Caussas obscuras non esse dicit, cũ vermiculos ex putrefactione natos, argumentum & indicium esse constitutionis cæli calidæ & humidæ, quæ fæcundat terram, & rebus nascentibus suppeditat vigorem, affirmat. Muscas vrentem siccitatem arguere dictitat, quâ inflamata corpora, & velut vstulata implentur ferui-

dis, & acribus humioribus. Araneos ex venenata, contagiosa & impura putredine nasci dicit, quam corripientem & inficientem corpora humana, in pestilentes febres: putredine verò augescente, erumpentes in bubones pestilentes, & anthraces, exardescere colligit.

Quamuis itaque hac in parte Astrologi illi sibi repugnent; quibusdam vermiculo reperto vbertatem annonæ, quibusdam verò sterilitatem significare? & polliceri statuentibus, omnium tamen horum opinio vana est & futilis. Concedent enim illi, vt credo libenter, huius putrefactionis humoris, ex quo musca, vel vermiculus, araneus, vel simile animal nascitur, caussam esse præcipuam aëris ambientis dispositionem & qualitatem: quod si est, cur quæso non eodem momento aërem ambientem idem in corpore humano efficere, quod in Gallarum globulis profert, statuitur? quæ caussa quęso morę, & dilationis in sequentem annum? non herclè natura venenati aëris, cuius proprium est omnia quàm statim inficere, infecta destruere & corrumpere, nisi forsitan naturalis calor intensus veneni huius aculeum retundat. Si enim, vt de araneis loquamur primò, venenato aëri ambienti illa insit vis, vt valeat in gallarum globulis ex putrefactione producere araneum,

multo

multo magis in corpore humano, attractus per respirationem pestem & mortem ipsam procreabit. Quid de vermiculis, qui qualitatem aëris sequentis anni designant, dicam? Vix enim est, vt aliquis mente constans efficientem caussam postponat effectui, quod tamen necessariò faciunt illi, qui huic superstitiosæ diuinationi insistunt. Aêr ambiens enim in præcedente anno vermiculi generationẽ caussat; cuius qualitas ex effectu dignoscitur: præcessisse ergò effectũ non sequi necesse est; Quod si est, cur non potius præteriti, aut præsentis, quam futuri anni habitudinem arguit? vtpote cùm nullo modo ex hac vermiculi generatione possit colligi, eandem aëris constitutionem in sequentem vsque annum duraturam, quod tamen ridiculè à talibus diuinatoribus fingitur. Eadem ratio militat in Musca, quæ secundum ipsorum somnia bella, tumultus adnunciat, cùm scil. tempore æstiuo multum negotii hominibus, & brutis facere soleat. Nec admittenda discrepantia subiectorum, quorum diuersitas efficiat, vt hoc vel illud tardiùs vel citiùs inuadat infectio, cùm teneritate & mollicie corpus humanum nulli cedat animalium: natura verò aëris venenati hæc sit, vt non præparet, sed inficiat, & generet ipsum malum. Præparationem autem mali à ge-

neratione distare, firmissimis inductus rationibus arbitror: nec enim ilicò præparationem sequitur malum, sed plerunque impeditur, quod in generatione mali rarissimè contingit: illa quidem aliquando diuturnum tempus, hæc verò modicũ requirit interuallum, vt potè omnibus ad generationem paratis. Similiter nulli fundamento innititur criticorum dierum obseruatio, pro habenda tempestate mensium, quos Germani vocant loß tag. Solent autẽ superstitiosi quidam homines vnicuique mensi suum attribuere diem, ex cuius habitudine mensem, vel serenum, vel pluuiosum, vel tẽperatũ, frigidum, calidũ, incipiendo à Natali Christi, qui Ianuario adscribitur, prædicere.

Præterquam enim quòd res omni caret fundamento, plena superstitionis & imaginationis vanæ, etiam electio certorum dierum Sacra scriptura vetita reperitur, horumque electores capitali supplicio afficiuntur. Idem de his dicendum, qui ex diei Natalis, aut Calendarum Iannuarij incidentia, anni sterilitatem, vel ventos, vel pluuias &c. prenunciare conantur; quia hoc modo miseræ plebeculę venduntur & offunduntur fumi, pecunia emungitur, & in horum Pseudoprophetarum admirationem adducitur, qui tamen suæ prognosticationis diuinatoriæ à bono & vigilanti magistratu dignas

gnas accipere pęnas deberent, ne secum eidem superstitionis nexibus alios simpliciores involuerent.

Capvt VIII.

De Eclipsibus.

Eclipsis est interceptio luminis luminarium. Eaq; duplex est, Lunaris alia, alia solaris. Lunaris est priuatio luminis in Luna, ob interpositionem terræ inter Solem & Lunam caussata. Solaris, est interceptio luminis solaris, ob interpositionem corporis Lunaris inter Solem & visum nostrum oborta.

Eclipsis Lunaris non est priuatio ἁπλῶς, sed πῶς cùm actus tantum, non verò potentiæ & aptitudinis sit priuatio. Solaris autem Eclipsis est interceptio luminis, non priuatio, cùm Solem Luna non priuet, sed eius lumen intercipiat, ne ad visum nostrũ penetrare posit. Harum rursus vtraque duplex est; vel totalis vel partialis. Totalis dicitur respectu obscurationis totius corporis luminaris, quatenus totum corpus luminaris in duodecim digitos solertia Astronomorum distictum, occupat. Partialis est, quando duodecim illi digiti, siue partes corporis luminaris non omnes obfuscantur.

Contingente ergò Eclipsi, Astrologi triste plerunque aliquod incommodum hominibus denunciare solent. Nam etsi naturaliter motu, cõiunctione, vel oppositione nimirùm luminarium prope nodos, siue caudam & caput Draconis fiant, tamen defectus ille luminis non sine effectu est, cùm natura nil faciat frustrà, & compertum habeamus, tumultus, seditiones, pestes, famẽ, grandines, inundationes, calamitatem denique, præsertim Solarem Eclipsin portendisse: sic Eclipsis Solis, quæ contigit Anno 1419. in 15. gradu Arietis in Bohemia stragem Bohemorũ à Zisca nobili genere orto portẽdit. Sic Eclipsis Solis in 16. gradu virginis, 29. die Augusti Anni 1448. bellum graue & atrox, quod Albertus Marchio Brandenburgensis cognomento Achilles cum ciuitatibus Imperialibus gessit, prænunciauit.

De Domino verò Eclipsis eligendo iam suprà diximus; de significatione & duratione nunc agemus.

Quod itaque significationem Eclipsis concernit, Astrologi ei gẽti significata quadrare perhibẽt, in cuius Horizonte apparet & videtur: sed qui sic? quia φαινόμενον operari apud eos dicunt, à quibus videtur. Verum quis hac lege vim sydeream quæso circumscripsit, & limitauit? Cum enim hæc ratio

tio repugnet manifestè Astrologicæ prædictioni, inanis est. Etenim Astrologi aspectus alicuius energiam, licèt apud antipodes eueniat, quadrare suo Horizonti affirmant, eaq; certo loco, in quo contingit non affigitur, sed in omnem eius extenduntur aculei. Nec huius diuersitatis caussam tarditatem motus & progressus allegare possũt, cùm ratio quidem illa aliâs probabilis, & speciosa, minimè tamen necessaria, militaret in congressionibus Saturni, Iouis & Martis inter se, secus in Sole, Venere, minùs in Mercurio & Luna propter celeritatem motus, vt potè axi mundi proximiorum Planetarum, obtineret.

Accedit & huc, quòd Eclipsis Solis nihil aliud sit, quàm vera coniunctio Solis & Lunæ. Eclipsis Lunæ nil aliud quã vera oppositio luminarium, adeoque inter aspectus referri possit; quę ergò ratio, quodque fundamẽtum subsit huic applicationi & restrictioni, non video. Existimarẽ ergò saluo tãtorũ virorũ iudicio, Eclipsin vniuersi aëris mutationẽ significare, quamuis impressio aëris in alio Horizonte, quàm nostro contingat, tamen cùm aër sit penetrabilis, facilè qualitas illa cõmunicari potest, vt in infectione aëris contingere solet, quæ licèt primò sit localis, mox tamen si sit enormis in qualitate & quantitate fieri potest vni-

uersalis, vt in peste vniuersali totam Germaniam Anno Domini 1565. deuastante id verificatur.

Præterea diuersa ratio est aëris infecti, & dispositi ad tempestates. Cùm enim tres regiones aëreę ab Aristotele constituantur, proprium subiectum infectionis virulenteę est infima regio, quę continet aërem ambientem, qui attractus per respirationem, maximè vbi pestiferus, magnarum mutationum in corpore humano caussa existit. Tempestatū verò mutationi obnoxius est, non tam aër infimus, quàm supremus, & intermedius, maximè verò intermedius, qui cùm vno loco non concludatur, sed vagabundus, inquietus, facileque propellatur, contingit etiam facilis tempestatis participatio: secus est in infectione, quę in aëre ambiente, loco tranquillo, à ventorum violentia immuni conclusa est, nec tam facilè communicari potest. Sed & hanc communicationem ipsa aëris alicuius loci impedit qualitas & habitudo, qui si crassus & densus, non tam statim impresſionem recipit, atque purus, syncerus & tenuis. Vt enim turbatio aquæ lympidæ & crystallinæ citiùs accidit, & deprehenditur, ita infectio aëris in locis humidis aërem crassum producentibus, non tam statim, vt aëri puriori & tenuiori imprimitur: quo spectat & id, quod

quod loca patentia vento septentrionali, longè sint salubriora illis, quæ exposita sũt flatibus Austri. Sic infectio aëris diuturnior est in iis locis, quæ nullis ventorum procellis infestãtur; eo quòd aër præsertim grauis & densus, facilè putrescat, attractus verò magni alicuius & diuturni mali in microcosmo causet nec facilè purgari, & expelli posſit. Ex qua tanquã fundamẽtali ratione consequitur, quòd aër subterraneus (qui nihil aliud est quàm aër putrefactus) diù in terra conclusus & retentus, erumpens tandem vel terræ motu, vel hiatu, vt Romæ tempore Marci Curtij contigiſſe testis est Liuius, pestem aliasq́ue perniciosas, & virulentas febres producat. Vnde auri argentiq; venatores cauernas subterraneas subeuntes, ob aëris grauis, craſsi, & putrefacti attractionem minùs viuaces sunt. Sic ii, qui diuturno subterraneo carcere excarnificati, pallidi tanquam ex antro Tryphonij prodeuntes, ob vitiosum aërem apparent. Quocircà Eclipsis effectus non vni loco aſsignandus, sed omnibus etiam iis, vbi non apparuit, cùm vniuersum aërem, non particularem afficiat, idq́ue vel principaliter, vel impulsu. De effectibus Eclipsium hoc addam. Pro genere significationum habendo, inſpiciendũ in figura, super tempus medię Eclipsis erecta, locum defectionis, &

cardinum sequentium (qui semper est, vel decima, vel prima domus) & Planetam in loco defectionis, vel in cardine sequẽte dominantem. In loco defectionis, & cardine sequente considerant Astrologi naturam signi, & formam. Natura consideratur pro vt est, masculina, vel fæminina, mobilis vel fixa; quamuis hanc considerationem plus superstitionis quàm veritatis habere arbitrer.

Forma consideratur in orbe octauo, sitné auis, piscis, quadrupedis, vel hominis forma. Si enim deliquium fiat in signo humano, effectus inuadit genus humanum, si in signo brutorum, significabis quadrupedibus malum: sed & hanc formæ contemplationem superstitiosam, non dicam ridiculam esse nemo non videt. Signa æquinoctialia, & tropica propriè tempori sui statum significant. Aries arboribus germinantibus & fructus ferentibus perniciem minatur. Cancer frugum perceptionem denotat. Capricornus aues & pisces eius temporis significat. Libra denique sationem arguit. Impium tamen est, æquinoctilia signa legum & Religionis, tropica politiarũ mutationem significare: cùm Christiani non astris, sed Deo primariæ caussæ hoc imputare soleant; vt ex Danielis aliorumque Prophetarum Prophetia videre est. Situs

etiam

etiam Luminaris eclipsati considerandus est: si enim in Oriente fiat deliquiũ, magisq; in cęli loco medio, iuuenibus, ętati virili, Regibus, primatibus: in occidente senibus, & legibus internecionem portendit. Sed & hoc supstitiosum est, nec veris & genuinis pręceptis & fundamẽtis Astrologię nititur.

In loco itaque tu defectionis & cardine considera Planetam dominantem, vel præsentiâ, radio, dignitateque essentiali exornatum & adiutum; Si plures erunt Planetæ dominantes pari potentiâ, commiscebis horum significata. Duo benefici Planetæ, Iupiter & Venus benefaciunt, Iupiter quidem temperando, Venus verò humectando. Malefici Saturnus & Mars, malefaciunt, Saturnus ex refrigeratione nimia, Mars verò exsiccando, Mercurius autem accommodat se naturæ stellæ, cui iungitur. Benefici non tantum hominibus benefaciunt, sed etiam animantibus, quorum consuetudine homines vtuntur: nocent autem Benefici herbis venenosis, aut animantibus homini noxiis. Noxia autem sunt animalia, aut feritate, vt Leones, Lupi, vrsi, aut Veneno, vt scorpiones, serpentes, aut quia deuorant, quod hominis vtilitati, & vsui deputatum est, vt corui, cornices, mures, locustæ; aut quia homini infesta sunt, vt crabrones, vermes, muscę &c. Malefici ècontra omnia no-

xia multiplicant & vtilia homini diminuũt. Sol enim & Luna sunt quasi duo Reges in cœlo qui præcipuam gubernationem habent: cùm igitur alter aut vim patitur, aut eius operatio impeditur, fit quasi interregnum, & luminaris deficientis vires is subit, qui reliquis fortior est, & deficienti proximè adstat; Et hæc de Eclipsium generali cognitione dicta sint.

Caput IX.

De Colore Eclipsium.

DEscripto Eclipsis solis typo, alterum est, vt colorem eius inquiras, qui hoc modo inuenitur. Quære distantiam Solis à nodis, & cũ ea ingredere sequentem tabulam, statimq; è regione deprehendes colorem Eclipsis solis. V.G. Anno 1601. contigit Eclipsis Solis: verus locus Solis fuit 20. grad. 25. minut. ♋ Verus verò locus capitis Draconis 23. grad. 9. minut. ♊, facta subtractione præcedentis loci à subsequente, remanet distantia Solis à Nodo ascendente, 9. grad. 14. minut. Hi gradus in tabula quæsiti, exhibent colorem ruffum glaucum.

TABV-

TABVLA SCRVPVLORVM distantiæ Solis à ☊ vel ☋ Draconis.

Sol eclipsatus distansà Nodo partibus.	1	——	Nigrum pressum.
	2	——	Nigrumobscurum.
	3	——	Nigrum fuscum.
	4	——	Fuscum cũ croceo.
	5	——	Fuscum clarum.
	6	exhibet	Fuscum rubeum.
	7	colo-	Ruffum.
	8	rem	Ruffum.
	9	——	Ruffum glaucum
	10	——	Rubeum glaucum
	11	——	Croceum.
	12	——	Croceum album.

Color Eclipsium Lunarium variat pro diuersa quantitate latitudinis Lunæ ad medium Eclipsis, & pro diuerso argumento latitudinis. Vt ergo Eclipsis Lunæ colorem venari posſis, necesse est, vt habeas in promptu Lunæ latitudinem ad medium Eclipsis, & cum illa ingrediaris tabulam sequentem, si compos voti fieri velis.

TABVLA LATITVDINIS Lunæ ad medium Eclipsis, eiusque correspondentis coloris.

Color Lunæ habentis scrupula Latitudinis.	Color
0	
2	
4	Nigerrimus.
6	
8	
10	
12	
14	Niger cum viredine.
16	
18	
20	
22	
24	Niger cum rubedine.
26	
28	
30	
32	
34	Niger cum pallore.
36	
38	
40	
42	
44	Pallidus griseus
46	
48	
50	

apparet.

52	Griseus cum albedine.	
54		
56		
58		
60		

Alter modus venandi coloris Eclipsis Lunaris hic est; Cum argumento latitudinis Lunę ingredere sequentem tabulam, & deprome colorem correspondentem signo. Postremò colores iusta proportione inter se misce, & habebis verum colorem Eclipsis.

Argumentum Latitudinis Lunæ inuenitur, si vero motui Latitudinis Lunę à Boreo limite addatur quadrans circuli, seu 1. sex. 30. grad. i. tria signa. Alphonsini motum latitudinis Lunæ numerant à nodo ascendente. Copernicus verò à boreo limite.

TABVLA ARGVMENTI LAtitudinis Lunæ

Signa	grad	color
0	0 10	Ruffus
1	20 30 10	Griseus cum albedine.

	Signa	gradus	color	
	2	20, 30, 10	Griseus	
	3	20, 30, 10	Niger cum pallore.	
Argumentum latitudinis ☽. est	4	20, 30, 10	Niger cum rubedine.	ideo apparet color ☽
	5	20, 30, 10	Niger cum viredine.	
	6	20, 30, 10	Nigerrimus	
	7	20, 30, 10	Niger cum viredine	
	8	20, 30, 10	Niger cũ rubedine	
	9	20, 20, 10	Niger cum pallore.	

Signa	gradus	color.
10	20 30 10	Griseus
11	20 30 10	Griseus cum albedine.
12	20 30 10	Ruffus.

An verò hic color lumen proprium Lunę, an refractio luminis tenebras ambientis sit, suprà in ca.1. exposuimus, proinde opus esse non iudico, vt actum agamus. Nunc breuiter de duratione Eclipsis agemus.

CAPVT X.

De duratione Eclipsis.

HActenus de significatione Eclipsium earumq; colore verba fecimus, nunc tandem ad durationem conuolemus.

Suprà expositum est Eclipsin esse duplicem, aliam Solis & efficaciorem, aliam Lunarem minùs efficacem. Solaris quot horas durat, tot annis operari dicitur.

Lunaris verò totidem menses suas vires in hæc inferiora exerit; eiusq; ratio hæc est,

quod horæ durationis debeant correspondere spatio temporis, quo Sol, aut Luna semel Zodiacum suo motu conficit, idque spatium in Sole annus; in Luna verò mensis est.

Principium operationis ex loco corporis eclipsati eruunt, si in Oriente fuerit, post tres menses, si in meridie se exhibuerit, post sex menses, si in occidentali mundi plaga, post nouem demum menses operatio Eclipsis initium accipiet.

Verùm vtut se fundamenta antiquorum Astrologorum habeant, attamen nulla ratio huius dilatæ diuturnæque operationis vera & sufficiens dari potest.

Etenim confiteantur necesse est, Eclipsin eo ipso tempore quo contingit, impressionem facere in aêre, vti cum posita caussa ponatur etiam effectus: iam verò illi caussam à suo effectu ita separant, vt initium etiam effectus in longum tempus à caussa efficiente remotum differant. Si hoc in Eclipsi locum habeat, cur non æquè Hyadum in Nouembri occasus vis in diuturnum tempus protenditur aut differtur, cùm in occidẽtali plaga is accidat? sed hoc absurdum ideò esset, quia eo ipso tempore huius occasus tota vis est, vt statim operetur, aëremque afficiat, & pro ratione attestationum aliorum Planetarum, ad profusissimas pluuias niuesque

nesq; impellat. Erit autem Eclipsis vis aut intensior occasu Hyadum, aut remissior: si intensior, statim operabitur sensibiliter; si remissior multis modis eius impedietur operatio. Quamuis itaque & ipse crediderim effectum Eclipsis efficacissimum, attamen nunquam concesserim, caussam à suo effectu posse separari. Licèt enim impressio aëris facta, aliquantisper etiam remoto aspectu aliquo per duret, attamen videmus eum nunquam in aliud tempus differri, sed statim sortiri effectum; extendi verò aliquando in mensem vsq; tradunt Astrologi in exortu Caniculæ & Arcturi.

Illo errore verò posito, nonnulli Astrologorum tempestatem, & casus tempore effectus contingentes ad suam Eclipsin detorquent, quemadmodum anno 1598. contigit. Ea Eclipsis Solis in 16. gradu Piscium, die 25. Februarij styli veteris, hora vndecima, 30 minuto ante meridiem apparens, statim ob Pisces in medio cæli constitutas, in quibus cum Mercurio Luminaria fuerunt, & Cancrum horoscopantem, cuius principium tenuit Mars, Eclipsis puuias minata est, sic easdē quoq;, secundum quorundum virorū doctissimorum iudicium, mense Iulio & Augusto, quibus efficaciam suam in hæc inferiora exercere cœpit, copiosissimè effudit, vt non modò collectionem fru-

menti impedierit, sed magnam etiam annonæ caritatem inuexerit. Verùm si tempestatis illius significatores diligentiùs excutiamus, non Eclipsin, quæ iam statim tempore apparentiæ suo officio perfuncta est, sed primò in Iulio quadratū Martis & Veneris, & postmodum quadratum Saturni & Veneris, aspectus validissimos. Paulo post verò in Augusto coniunctionem magnam Saturni & Martis, oriente Arcturo, Luna decrescēte, harum pluuiarum & inundationum caussam fuisse deprehēdemus. Et hoc nos physica veritas edocere debet, quæ naturali efficienti caussæ effectum alligat, ab eo vero neutiquam separat: Illi ergò mihi cōparandi videntur his, qui flante Fauonio impetuosiùs, & pertinaciùs ventū prędicere proditiones & violentas mortes spontè illatas, affirmare non erubescunt. Horū prędictioni si fortè fortuna euentus respōdeat, sibi certò persuadent, venti impetum hoc prænunciasse: sed decipiunt semetipsos illi miseri homines, dum inferiori caussæ attribuunt, quod superiori attribuendum meritò esset, cùm huius vel illius venti impetuositatis caussæ certæ reddi possint.

Exponam itaque breuiter, quid de hac re sentiam. Ratione interualli operationis non existimo distinguendum inter Eclipsin & occasum, siue ortum syderum, aspectum-

ctumque Planetarum; quam tamen eandem ratione efficaciæ plurimum ab iisdem differre expertum habeo. Vt ergo ortus & occasus syderum, validaque Planetarum constitutio quàm statim incipit operari, ita & Eclipsis non differt effectus, sed quàm primùm aërem afficit, impressionemque post se relinquit, cui ea inest aptitudo, vt paulò post vires suas in inferiorem aërem, nisi impediatur, exercere possit. Huius praxis recens habemus exemplum in Eclipsi, quæ contigit Anno hoc nostro 1605. ad 24. Martij sub vesperam in Libra, signo ventoso & humido Venere disponente, & minata est humiditatem & ventos vehementes, nō admodum tamen nocentes, ob dominium Veneris, quæ in beneficorum Planetarum classe reperitur; idque eò magis, quod ea Eclipsis in regressus tempus Saturni inciderat, qui frigiditatem auræ intenderat vehementer. Nec enim talis effectus ad regressum Saturni referri potest, cùm is non valeat in aêre ob nudum regressum tam validam mutationem inducere, præsertim in tali loco constitutus. Parcant ergò mihi omnes & quilibet Astrologiæ studiosissimi, si fumos vendere, oculisque hominum simpliciorum offundere omnibus viribus vitans, in posterum à doctrinæ Astrologicæ præceptis hactenus hac in parte re-

ceptis declinem, effectumque Eclipsis non differam, sed in præsens tempus apparentiæ Eclipsis dirigam, ne forsitan contra propriam conscientiam quid directò admittens, ad gehennam, vt dicunt Canones, ædificem. Et hæc de duratione Eclipsis dicta sint: nunc breuiter etiam de incendiis, peste &c. verba faciemus.

CAPVT XI.

De Incendiis.

CÆterum ex themate Anni, Lunationis, aut Eclipsis Astrologi incendia, pestes &c. prædicere solent: vbi mirantur omnes, an his prædictionibus fides aliqua adhibenda sit; Verùm dubitari de hac re nulla ratione debet, cùm hęc ipsa nonnunquam ex aëris affecti qualitate dependeant.

Præterquam autem quòd incendium ab Eclipsi prę sertim Solari causatur, etiam particularis aspectus Iouis & Martis maximè in signis aëreis eadem minatur, idq; in fine Veris, Aestate & principio Autumni magis quàm hyeme; cuius dogmatis ratio hæc est, quòd hyemali tempore eique proximo terra imbribus madefacta præbeat exhalationes, ex quibus, Aristotele in meteorologicis monente, aquosa meteora gignuntur.

Iam

Iam verò compertum habemus, ad incendium ab astris caussatum requiri facilitatem inflammationis, quam aër crassus & humidus adeò non admittit, vt etiã tunc temporis omnia ferè humiditate diffluant; eoque fit, vt hyemali tempore imcendiorum deuastationes ab astris caussatæ rariores sint. In fine verò Veris, Aestate, & in principio Autumni maximè aër est dispositus ad recipiendas inflammationes, cum eo temporis momento venti sicci, cuncta sua vi exsiccantes dominari soleant; quo ipso manifestum redditur, autumnali tempore aëre crassiote & viscosiore existente, meteora esse crebriora. Aëre hoc modo pręparato, astrorũ occulta adurẽdi vi incẽdia facilè, maximè si & incuria humana, vt plerunq; proh dolor adsolet fieri, accedat, cõtingunt. Cuius rei annus 1540. exemplum exhibere potest: etenim hic adeò ad siccitatem & calorẽ inclinauerat, vt magna flumina aquis calore absumptis exsiccata fuerint, syluæque à radiis solaribus accensæ conflagrarint: quẽ effectum an quidam rectè Eclipsi in Aprili contingenti adscribant, facilè ex iis, quæ suprà de Eclipsi diximus, intelligere licet. Verùm, si incendia ab astris dependeant, inquies, fatalem necessitatem in se habere necesse erit, ex quo consequetur ea frustra præcaueri.

Pace tua dixerim bone lector; cùm certum quidem sit aëris aptitudinem & habilitatem exsiccandi ab astris dependere, non ideò tamen adeò necessariam esse, vt non possint hinc caussata incendia ab industrio œconomo & patrefamiliâs præcaueri, modo diuinam faciem sibi iratam ardentibus precibus placare studeat: nihilque eorum quæ ad ea declinanda faciunt intermittat. Nunquam enim ne quidē ab astris caussatur incendium, cui non prius & leuissima oscitantia humana dederit aliquam ansam.

Nam quod anno 1540. syluæ nonnullæ ob nimium calorem & siccitatem sine vllo facto hominis conflagrarint, id ex raris contingentibus est; siquidem sese talis calor rarissimè offerat, qui sponte nullo alio in sui auxilium accersito incendia & deflagrationes possit producere. Proinde nec nos calorem causam incendiorum, sed siccitatem, quæ aëri ex astrorum mirabili influentia inest, ponimus. Eo itaque maximè tempore quilibet bonus & suorum ciuium commodis inuigilans magistratus aquam ciuibus imperabit, cuius medio facilè incendij principio, si quod oboriatur occurri possit; Idque exemplo industriorum Romanorum, quorum quilibet aquam in cænaculo vt haberet, seriò à præfecto vigilum est admonitus. l. 3. §. 4. ff. de offic. præfect.

sect. vigil. Vnde & in sua penu ad restinguendum incendium acetum reconditum habebant, quod apertis verbis Iurisc. Vlpianus in l.3.§.5.ff. de penu leg. adserit, dicens. Penori acetum quoque cedere nemo est qui dubitet, nisi extinguendi ignis caussa fuit paratum, tunc enim esui potuique non fuit. quam legem eleganter explicat l.12.§.18. ff. de instruct. & instrument. legat. Acetum autem cùm sit vinum putrefactum, omninò diuersam acquirit naturam igni, eiusq; vi fortiter resistenté. Proinde & laudatissima in nõ nullis Germanię est locis consuetudo, cui innixus, tépore æstiuo sub cõminatione certę pænę ciuibus imperat magistratus, vt in suis ædibus ignem custoditum, aquæq; aliquam copiam habeant, qua incendio orto maturè commodeq; possit à familia occurri. Verũ proh dolor surdis canitur, nequicquam malum, ni præcaueatur prædicunt boni viri: Etenim negligentes oscitantesq; patres familiâs nõ modo incustoditum habent ignem, verùm etiam lignis, fœno, aliaque materia facilè conflagrabili replent ædes, incendioq; caussam dantes non modo sibi, sed & aliis conciuibus sunt perniciosi, Reipublicæ verò eiusq; incolumitati infesti. Curiosi itaque ac pij patrisfamiliâs meritò cura subire deberet mentem, ne forsitan tali materia æde reple-

ta, vel diuinitùs ex concussione fulminis, vel incuriâ familię ædes Vulcano consecrarentur, eoque non sibi tantum, sed & vicinis funestus esset; sed paucorum hæc cura, hęc ratio, hæc pia sollicitudo subit animos. Hic etiam ad vtramque aurem, non dicam oculum magistratus dormit, tanquam ipse suorum ciuium fælicitate pertæsus. Nero quidem incendio deterrimo Romanæ vrbis delectabatur. Verùm hic tyrannus & parricida fuit; quod nomen à bono magistratu meritò abesse debet; quod si expetat, prohibebit id, quod scit nocumento esse ciuibus, quantum in se est, si modò prohibere possit. Etenim, qui non prohibet, habet communis & trita regula iuris, cùm prohibere posset, in culpa est, & se se quodammodò delicti facit participem.

Quocircà Reipublicæ erit consultum, si magistratus negligentem, sibi & vicinis perniciosum ciuem pœnis inhibitionibusque coercuerit, & prouiderit solerter, ne incendiū in vrbe contingat. Iure igitur, & publicę vtilitatis amore tam negligentem patremfamiliâs & fustium pœnæ subiiciendum Romanæ leges voluerunt, si caussam sua culpa dedisset incendio; vt videre est in l.3.§.1.ff. de offic. præfecti vigilum, vbi I.C. Paulus inquit, Et quia plerunque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigat

stigat eos, qui negligentiùs ignem habuerunt, aut seuera interlocutione comminatus fustium castigationem remittit. In eandem sententiam scripserunt Imperatores Seuerus & Antoninus in le. 4. ff. eod. Nam qui culpa & negligentia leuiore caussam incendio dederit, venia indiget hactenus, vt vitæ parcatur corporique, l. penult ff. de incend. ruin naufra. dammum tamen merito vicinis resarcit l. 9. ff. eod. Exod. cap. 22. vers. 6. data in duplum ex edicto prætoris actione, quæ vocatur incendiaria l. penult ff. de incend. ruin. nauf.

Quinimò Vuesembec, in paratit. in d. tit. ff. meminit relegationem hoc casu impositam esse præsertim apparente culpa aliqua latiore.

Nequaquam enim excusari debet is, qui materiam facilè concipientem flammam, quotidianæ verò vitæ non necessariam, in ędes & habitationem quotidianam importat, licèt incendij casus præter opinionem acciderit. Omnis enim culpa ad casum fortuitum ordinata nocere debet committenti culpam, & ideò si culpa ad casum incendij sit ordinata, hoc est, si incendium ex tali culpa immediatè exortum sit, noxia erit committenti, etiamsi, vt dictum, casus incendii præter opinionem euenerit. Ratio, quia occasionem damni dedit, ex culpa

proximè ad casum ordinata, per textum notabilem in cap. 2. ext. de deposito, & in c.vnico.de commodato, Gail. lib,2.obser. cap. 22.

Meritò verò tam incuriosus pater familiâs vel diuinando assecutus esse debuisset, id quod quilibet etiam simplicissimus probabilit prospexisset. Ast si dolus appareret, cóstitutionis Caroli V.artic.125.locũ haberet. Nec in hoc casu vlli parcendum puto, eò quod hoc cũ damno alterius coniũctũ esset, & æqualitatem publica vtilitas suadeat. Etenim si magistratus amore publici boni ductus ciui adimere bona possit. Dec. in c. quæ in ædes ext. de Constitut. & c.in nostra, de iniuriis. Castrensis consil. 281.primum dubium, & consilio 216. præsupposito, vers. sed dubium est, Myns.cent.5. obser. 97.Gail.lib.2. obseruat. 56. nu.1. & 2. Cur quæso non posset, ciuium incolumitate inuitante, publica vtilitate stimulante, & ipsius illius oscitantis partis familiâs salute admonente, talem socordiam & incuriam imò malitiam in ciue coërcere, eique interdicere, ne habitationi quotidianæ stramen & similia includeret, quibus & alia loca destinata esse, ciuilis disciplina edocet. Quocirca & Romanos proprium habuisse magistratum, qui huius rei sibi curam susciperet, apparet, ex l.1.ff.de offic. præfecti vigilum,

tum, vbi Paulus ICtus inquit: Apud vetustiores incendiis arcendis triumuiri præerant, qui ab eo, quòd excubias agebant, nocturni dicti sunt. Interueniebant nonnunquam Ædiles, & Tribuni plebis. Erat autem familia publica circa portam & muros disposita, vnde si opus esset, euocabatur: fuerant & priuatæ familiæ, quæ incendia vel mercede, vel gratia extinguerent. Deinde D. Augustus maluit per se huic rei consuli pluribus vno die obortis incendiis. Nam salutem Reipublicæ tueri nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei, quàm Cæsarem.

Quando ita se inuicem Mars & Iupiter aspiciunt, maximè inimico radio, in signis aëreis aut igneis, plerunq; tristia incendia referri audimus.

Mars fortis in signis aëreis, adiuuat incendia. Mars Eclipsis alicuius magnæ dominus, præsertim Solaris, efficit incendia. Quadratus Iouis & Martis intra Coniunctionem Veneris & Mercurij, Luna in Virgine existente, prædicit incendium. Quorum omnium ratio cùm suprà sit exposita, ad alias Astrologorum prædictiones conuolemus.

CAPVT XII.

De Peste, Pestilentibusq́; febribus.

ALterum est prædictorum, quod admiratur vulgus, Pestis nimirum. Verùm non miraretur, si non rationes luculentæ, quæ reddi huius luis possunt ipsi essent reconditæ.

Planum est & expeditum, Planetas suis influentiis agere in aérem tanquam adæquatum subiectum, eum disponendo, alterando, resoluendo, densando, extenuando, & ad quemlibet suum effectum idoneum reddendo. Quod vt in lue pestilentiali contingat necesse est; si enim lues hæc non lateret in aëre, contagiosa minimè esset, cùm tamen hanc beneficio aeris corrupti & attracti adeò affricari notum est, vt non nisi aeris mutatione vitari cómodè posit. Dispositus verò ad huius luis participationem tunc demùm homo dicitur quàm optimè, si aer ambiens, quo viuit sit putrefactus mixtis venenosis terrenis vaporibus, quod non inficias it Fernelius li. 1. de morb. caus. ca. 13. Respiratione enim primò quidem os, nares, præcipuaque membra humani corporis implet hic aer, ex iis postmodum in omne corpus perflabile mox quasi momento diffunditur. Quacunque is vel substantia vel qualitate præditus est, ea ipsa pri-

primum ſpiritus, deinde humores, poſtremò partium ſubſtantiam inficit; ſerenus, tenuis, purus, beneque temperatus ſpiritus noſtros colluſtrat, ſanguinem attenuat, cor exhilerat, mentem ſerenat, corpus omne peruadens raritate diffundit. Craſſus verò & denſus, caliginoſus & aliena permiſtione inquinatus ſpiritus obſcurat, ſanguinem & humores denſat ac labefactat, cor mœſtitia perſtringit, mentem obumbrat. Qui verò circumfuſus eſt aer, in intima quæque penetrans contagione inficit: nec nos ſolùm, verùm etiam ſolidiſsima quæque & maxima, vt ligna & lapides & metalla, quæ aliter pluuioſo cœlo affici notamus. Tanta eſt vis quidem aeris per cuncta rerum meabilis. Is quippe vnus plurimos ſimul attingit, cuius incõmodum non tam facilè declinabis. Morborum hic opifex eſt, vel qualitatum immoderatione, vel ſubſtantiæ vitio, vel ſubita inſolentiq; mutatione. Qualitatum intemperies calidior, frigidior, humidior, ſiccior, ſiue à regione, ſiue ſitu, ſiue ab anni tempore, ſiue à cęli ſtatu, talis exiſtat, afficit ſpiritus, taliter ſe habent humores, ita corpus affectum.

Vitiata igitur aeris ſubſtantia, gignendorum morborum maximam obtinet vim. Hæc licèt ſimpliciſsima, variis tamen modis contaminatur & inquinatur. Exhala-

tionis copia & caligine humescit, terræ, aquæ, cadauerum, aliorumúe putrescétium expiratione graui inquinatur, pestilentiæ seminibus vel cęlitùs immissis, vel in se genitis polluitur labefactaturque. Hæc igitur vnà cum aere, quem spiritu ducimus permanant in omne corpus, & contagione tum spiritus, tum ipsos humores suo quæque modo contaminat conspurcatque, & varios eosque ferè occultos morbos proferunt. Iam verò subitæ, insuetæque temporum, locorum, tempestatumque mutationes sæpe morbos attulerunt, præsertim si ex salubribus in grauia & deteriora fiant. Quos temporum mutatio insigniumque syderum exortus, quos tempestatum flatuumque conuersio morbos inuehere soleat, diligenter quidem Hippocrates & Aristoteles literis prodiderunt, omnium certè eam facientes caussam, quod ex contrariis in contraria, ac etiam ex humidis in calida, aut frigida grauis periculosusq; transitus sit. Quocircà aërem saluberrimum prius corrumpi apparet, & ex putrefactione exhalationibus terrestribus affluentibus virulentiam & contagium contrahere, qua infecti corporum humores alterantur, & pro diuersitate intemperiei, nunc ad hunc, nunc ad illum morbum & inquinamentum disponunt. Verum à quo hæc putrefactio,

ctio, hæc vaporum extractio? A Planetis, præſertim verò Saturno in ſignis igneis aut terreis conſtituto. Natura enim eius frigida & ſicca, his adſtipulantibus, vel adiuuatur vel temperatur. Temperata reddit inſalubrem hyemem, æſtatem verò calidiſsimam producit; aucta æſtatem calidiſsimam efficit, quia antipodibus per antiperiſtaſin frigidiſsimam reddit hyemem, tempus verò hyemale mirùm in modum intendit & continuat; adeò vt, cùm omne nimium vitio vertatur, hæc mutatio inſueta, hæc naturarum temporis intemperies magnæ alicuius & nocentis alterationis humorum in corpore humano cauſſa exiſtere poſsit.

Cuius rei exemplum Annus 1564. præbere poteſt: quo tempore Peſtis Baſileæ & aliis locis multa millia hominum abſorpſit Saturno in Leone, ſigno igneo reperto, qui adeò frigus intenderat, vt nominatiſsimi quique fluuij totius Germaniæ in glaciem concreuerint. Iupiter verò eo momento erat in Virgine & Leone. Mars in Tauro ab initio anni iungebatur Ioui, & paulò poſt Saturno in Leone, tempore autumnali domum Veneris occupauit. Venus verò comitabatur Solem. Mercurius in Scorpione & Sagittario autumni tempore gradiebatur. Saturnus & Iupiter Orientales Solem præcedebant. Mars in Nouembrem vſque occi-

dentalis apparebat.

Hanc Annus 1576. alia, clementior tamen excepit, quo tempore Saturnus in Sagittario occidentalis, Iupiter in Virgine & Leone occidentalis, Mars in Capricorno occidentalis erat, hæc in annum sequentem 77. vsque grassata est, quo anno Saturnus in Capricorno occidentalis, Iupiter in Virgine Orientalis, Mars verò in Virgine occidenlis fuerat. Ex quibus funestis prædictorum annorum constellationibus colligere licet, tres superiores semper ita locatos, vt alternatim occuparent signa terrea & ignea. Anno enim 64. Saturnus in Leone, Iupiter & Mars in ♍ & ♑ reperti sunt. Anno 76. Saturnus in Sagittario; Iupiter in ♍ & ♌ Mars in ♑: Anno verò 77. insequente, Saturnus in Capricorno, Iupiter in Virgine, & Leone Mars in Virgine constituti fuerãt.

Ex tali Saturni habitudine ad reliquos duos superiores Planetas Astrologi pestem non quidem ex fatali necessitate eam præsupponendo, verùm adnuente & concedente Iehoua aëri hanc virulentiam immissam vi astrorum malorum morborum caussam esse statuendo, deprecari sæpe iustorũque precibus resipiscentiaque auerti concedendo, prædicere solent.

Hic tamen, licèt virulentus morbus contagiosusque euitari potest, primo confidentia

déntia in Deum, Psal. 91. deinde pia industria qua aer putrefactus & venenatus renouatur perpurgaturque. Quapropter sæpissimè admissione venti borealis, obturatis fenestris Austrum spectantibus, vniuerso malo remedium allatum fuisse, testatur industria M. Varronis, qui hoc remedio se & comitatum, sibiq; commissam prouinciam seruasse dicitur. Eo ipso etiam demonstratur, omnes morbos contagiosos halitu oris communicari & affricari: quod confirmat eruditissimus ille vir Fernelius lib. 2. de abdit. rer. causs. inquiens, hanc putredinem (quæ malignum in se continet venenum) nunc hominibus, nunc bouibus, à cœlo caussari. Ast non à firmamento, nec à motu primo, vt qui semper sui similis est, non à Solis obliquo circumactu, sed à certa permistione syderũ, Sol motu suo anni tempora æquabiliter facit & disterminat ver, æstatem, autumnum, & hyemem. Quòd autem non omnes æstates æquè feruidæ sint aut siccæ, nec omnes hyemes pariter rigeant aut humescãt: quod æstas quædam muscarum & scarabeorum quasi nubes proferat, alia sit ab his omnibus purissima: quod omnium admiratione locustę tanto exercitu in Galliam conuolauerint anno 864. & in Italiam anno 1478. vt omnia germina depopulata sint: id iam nõ ex Solis motu, sed à varia syderum commi-

stione petendum, quorum motus non inutiles & præter rationem summus rerum conditor certis definiuit legibus. Vt alia horum commistio imbres, alia serenitatem, alia austrinam, alia aquiloniam, aliamúe tempestatem mouet: ita sanè fatendum, quandam contingere, quę pestilentiam aeri immittat: vtq; multa sunt pestilentiæ genera, ita vniuscuiusq; peculiarem quādam esse commistionis rationem & propriam caussam, quæ aliàs mitiùs, aliàs ferociùs in aerem atq; in nos furiat & debachetur. Grauis est eorum stupiditas, qui sydera nihil in aera nisi calorem & frigus, imbres & siccitatem lumine motuq; suo inducere contendunt. Si illa bene constituta omnium vitam tuentur, & conseruant, cur malè constituta vitæ non incommodent? Has caussas atque vires soli de medio tollunt, & tanquam nullæ sint negant, qui huius sunt cōtemplationis imperiti. O ferè fœlices, qui secretiore hac cognitione sapientissimi fiunt, qua neq; ad pręcauendos, nec ad persanandos morbos est vlla præstantior. Itaque puræ simplicisq; pestilentiæ causa est cœlestis configuratio vim inferens, quæ neque temporum mutatione, neq; vlla manifesta qualitate, sed solo euentu deprehendi potest, & hactenus quidem ille. Quo euenit, vt pestilentia in regione putridis exhalationibus

referta

referta grauior, mitior in regione ventorū procellis & fluctibus exposita, rursus difficilior æstate & autumno, quàm hyeme euadat. Hoc malo fortiùs tanguntur loca maritima austro obiecta, calida & humida, tetris venenatisq́; exhalationibus peruia. Rursum inter homines magis læduntur illi, qui calidi & humidi multo scatent humore putredini obnoxio patentiore laxioreq́; corpore, quàm qui frigidi & sicci humore pauco, eoq́; puro, & corpore moderatè laxo & astricto sunt. Verùm hæc Medicis perquirenda relinquemus. Nostrum fuit demonstrare astris eam inesse vim, vt aerem ad putrefactionem impellere, singularique virulentiæ omnia suo contactu inquinanti caussam dare possint. Ex quo deducitur nunc, hanc luem perniciosissimam ab Astrologo prædici in difficili non esse, modò is ad primam primoque mouentem caussam Deum ter Opt. Max. respiciat, cuius permissu, præscitu & concessione ob innumerabiles nostras eius numinis offensiones immitti & fieri certo credat. Vnde nec homo Christianus ad astra hoc malum contingens simpliciter referre debet, sed ad primariā caussam Iehouam nimirum, huius authorem primò mouentem recurrere, eumq́; placare studebit: is enim seruabit suum populum.

Pro diiudicandis autem morbis tradunt

Astrologi sextam domum, eiusque dominum inspiciendum, habitudine domini signi horoscopantis ad Lunam minimè neglecta. Si is impeditus & maleuolus, Saturnus vel Mars corporali sua præsentia adsit in sexta, aut inimico radio Lunam intueatur, portendit, si Saturnus, morbos ex frigore descendentes, & plerumque insanabiles, si Mars aut Saturnus malè in Ariete, Tauro, Cancro, Scorpione & Capricorno afficiatur, ex cholera rubra, & abundantia sanguinis febres, insaniam, dolorem capitis, & vlcera minatur. Si Iupiter & Venus malè habeantur in sexta, significant morbos, verùm non adeò difficiles. Generalem autem regulam loco axiomatis hanc notato. Si Planeta in aliquo signo infeliciter ponatur, morbos ei membro minatur cui insidet, modò fortitudinis prærogatiua aliis præferatur, vt in Ariete Mars malè collocatus, intendere solet dolorem capitis, Aspectus validus Saturni & Martis in aereis, pestilentē facit aerem: Coniunctio Solis & Martis operatur adustionem sanguinis. Coniunctio verò Solis & Mercurij aerem morbosum reddit: quod Saturnus & Venus itidem patrantur: Coniunctio Mercurij & Veneris verò pestilentem aeris constitutionem designat, si modò hę coniunctiones apud stellas fixas eiusdem naturæ reperiátur. Et hæc de Peste.

CAPVT XIII.

De Cauda & Capite Draconis.

ASTronomorum solertia hypothesiũ fabricandarum gratia, quibus motus corporum cœlestium diuersitatis rationem reddere possent, effinxit & duos circulos se inuicem ad angulos acutos intersecantes, quorum medio eclipsium Lunarium & Solarium raritatem exponunt & explicant. Horum circulorum alterum intersectionis punctum siue Nodum Caput, alterum verò Caudam Draconis vocitant. Prope quæ puncta si aut Oppositio, aut Coniunctio fiat, Eclipsin quidem contingere certum est: Ast hac hypothesi creduli quidam & superstitiosi homines abutuntur, dum Capiti fortunam, Caudæ infortunium attribuunt: cũ tamẽ nulli ne minimo quidem fundamento innixi, huius suæ propositionis veritatem asserere possint. Hi autem circuli reuera & actuali existentia, vt & sphæræ reales, concentusq́; sphærarum Pythagoricus non existunt, sed entia merè intentionalia & ficta sunt, quæ suum esse non habent extra mentem Astronomi, qui eosdem circulos primo mobili, vt reliquos omnes circulos sphæræ, inscripsit, idq́; in eum finem, vt horum beneficio diuersitas motus corporum cœlestium saluari possit. Vt ergo axis mundi nullum sensibilem & realem habet esse-

ctum Astrologicum, ita nullam Caudæ & Capitis Draconis efficaciam experiri nos constat. Etiam ipsorum iudicio reprehensione dignissimam notam incurreret quis, si ex signis imaginariis pluuias, aut mutationem tempestatis prędiceret: multò magis ergo ei calculus Astrologorum denegandus, qui circulorum fictitiorum intersectioni fortunam aut infortunium nituntur adscribere: nam si horum circulorum intersectionum Nodi efficaciam aliquam habent, eandem obtinent aut suâ naturâ, aut ratione loci in quo sunt: sed nec suâ naturâ, vtpote intentionales & fictitij, nec ratione loci in quo sunt, habent, cùm pro diuersitate eiusdem Zodiaci, vtpote in quo mouentur, diuersas consequerentur vires: ita, vt Cauda Draconis domui Iouis aut Veneris insistens, fortunata; Caput verò in mansione Saturni aut Martis consistẽs, infortunatum dici posset, quod tamen falsum esse Astrologorum fatetur schola: sequitur itaq; nullas habere vires, nec per se, nec ratione loci in quo sunt. Effectum itaq; Astrologicum, quẽ Astrologi venantur, habere nullum necesse est. In Astronomia verò horum circulorum inuentio calculationi motus corporum cęlestium adeò inseruit, vt horum beneficio destituti Astronomi motuum & Eclipsium solidam rationem reddere nõ possent: hos
itaq;

taq; ipsis relinquamus. Ex eo tamen appa-
ret, quibus falsis & superstitiosis præceptis
Astrologia ferè oppressa iaceat, adeò vt ob
speciem & similitudinem verorum etiam
oculatissimo imponant, nisi præcisè quis
sciat, cui fini vnumquodque in Astronomia
destinatum sit. De vsu autem huius in Ma-
gia, vide Cornel. Agrippam in cap. 45. lib. 2.
de Occult. Philosoph.

Capvt XIIII.

De duodecim domibus cœlestibus.

NEc minùs Astrologi circa domorum cœlestium proprietates, ex quibus omnium euentuum prædictionem venantur, discrepantes habent opiniones. Has enim aliter Ptolomæus, aliter Heliodorus, aliter Paulus, aliter Manlius, aliter Maternus, aliter Porphyrius, aliter Ægyptij, aliter Arabes, aliter Græci & Latini, aliter veteres, aliter recentiores assignant. Quando quidem etiam initia finesq; domorum, quonam modo constituere oporteat, inter eos nondum liqueat, cùm hæc aliter fabricent antiqui, aliter Ptolomæus, aliter Campanus, aliter Ioannes de Regiomonte: quo fit vt suis ipsimet obseruationibus sibi fidem adimant, cùm locis iisdem diuersi diuersas adscribunt proprietates, initia, & fines. Verùm nec hoc loco extra omnem supersti-

tionis cõtactum Astrologos videmus, qui cœlum in duodecim partes imaginarias secantes, vnicuiq; illarum partium naturam, qualitatem, coloremq; proprium affingunt non quidem ex fundamento certo, verùm ex supposititio & imaginario: Hoc commentum non quidem ipsos Astronomos, quatenus tales, vtpote quorum motui minimum commodat, sed Astrologos habet auctores & fabros, qui ex positu signorum, Planetarum, stellarumq; fixarum, quem habent ad certum tempus in his duodecim cœli domibus, homini quid mali aut boni prædicere conantur. His amplissimorum commodorum lucrorumque ratio hæc figmenta extorsit. Dum enim quibusdam stolidis & superstitiosis hominibus fortunam prosperam aut minùs propitiam aperiunt, vitæ finem, captiuitatem, mortem, scelera referant, animosq; hominum eorum superstitione perstringunt & perungunt, eorum pecuniam emungunt, & retibus positis venantur quasi, & illicita hac arte (non nisi à diabolo omnium superstitiosorum hominum acerrimo assertore & defensore inuēta & propagata) aucupantur: quę causa mouit Concilium Martini Papæ, vt huius artis exercitium vetaret in ca. non liceat. 26. q. 5. Non liceat, inquit, Christianis tenere traditiones gentilium, & obseruare vel colere ele-

elementa, aut Lunæ stellarumq; cursus, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, aut propter segetes, vel arbores plantandas, vel coniugia socianda: eiusdem intentionis est c. non oportet. c. si quis episcopus. c. aliquanti. c. peruenit. c. episcopi. c. nec mirum de magorum. 26. q. 5. Imò D. Augustinus in c. illud, vers. neq; illi. 26. q. 2. (quod c. desumptum est ex lib. 2. de doctrina Christiana, ca. 19. 20. & 21.) grauissimè in hos inuehitur, dum ait: Neq; illi ab hoc genere superstitionis perniciosæ segregandi sunt, qui olim Genethliaci propter nataliũ dierum considerationes, nunc autem vulgò Mathematici vocantur. Nam & ipsi, quamuis veram stellarum positionem cùm quisque nascitur, consectentur, & aliquando etiam peruestigent, tamen quod inde conantur vel actiones nostras, vel actionũ euenta prædicere nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem. Quos tamen Planetarios in c. illos planetarios. 26. q. 2. & se olim consuluisse dicit, quasi nullum esset sacrificium, & nullæ preces ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigerentur, attamen se postea agnouisse hanc consultationem Christianam & veram pietatem repellere & damnare, asserit. Hæc autem duodecim cœli domicilia præter alios præcisè inspiciunt Genethliaci,

qui ita, vt notat Augustinus in c. igitur. 26. q. 3. & 4. propter natalitiorum dierum considerationes appellati sunt. Geneses enim hominum per duodecim cœli signa describunt, syderumq; cursu nascentium mores, actus & euentus prædicere conantur, id est, quis, quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui nascitur. Hi sunt, qui vulgò Mathematici vocantur, cuius superstitionis genus constellationes Latini vocant, id est, notationes stellarum, quomodo sese habeant, cùm quisque nascitur. Primùm enim iidem stellarum interpretes Magi nuncupantur, sicuti de his legitur in Euangelio, qui natum Christum annunciarunt. Postea hoc nomine soli Mathematici dicti sunt, cuius artis scientia vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito, nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretaretur. In quo tamen vetus Testamentum, & Lex Mosaica cum Augustino pugnant: siquidem Deus Almipotens omnem artem diuinatoriam omnino prohibens, pœnam mortis irroget hanc exercentibus & sciscitantibus: vt videre est Deuteronomij c. 18. ver. 10. & 11. &c. nec mirum, cũ quidam tantæ impudentiæ fluctibus impulsi, ausi fuerint affirmare, ascendente Geminorum sydere, Saturno & Mercurio in Aquario iunctis in Nona cœli plaga, nasci

Pro-

rophetam, ideoque Christum Dominum
ostrum Saluatorem mundi tot claruisse
rtutibus, eò quòd in eo loco Saturnum
abuerit in Geminis. O impios illos & sce-
ratos homines, qui Christum vnigenitum
lum Filium Dei, Deum & hominem astris
ligant, colligantq́;, tãquam his perfectio-
em suam acceptam ferre deberet. Quin &
hristum ipsum in miraculis suis horarum
lectione vsum, quibus illum Iudæi lædere
on possent, dũ ascenderet Hierosolymam
leoq; vetantibus discipulis dixisse: Non-
e duodecim horæ diei. Hoc dogma non
odò impia nititur structura, & ab omni
era orthodoxaq; Religione alienissimum
st, verùm & superstitioni ita immersum est
t nihil præter nudam superstitionem ani-
em sapiat & oleat. Solent enim huius artis
octores planetariis horis singulares vires,
eculiaresq́; gubernatores, qui has dirige-
ent ad certum effectum, præfigere: Verùm
æc omnia quæ de domibus duodecim cę-
estibus à tot & tantis viris, tantisq́; vigiliis
xcogitata traduntur, cum rei veritate nul-
am ne similitudinem quidem habeant, im-
osterum, si horum commenta declinans
ninùs astrologica dixero, nemo vitio ver-
et: siquidẽ his sine insigni superstitione &
dololatria vti non possimus : & hæc de
luodecim domibus cœlestibus.

CAPVT XV.

De Bello & tumultu.

SApientia Astrologica nec dictis prædictionibus contenta est, verùm progreditur vlteriùs: Sufficere non existimant Astrologi, qualitatem aëris, temperiem, tempestates, electiones, incendia, pestes prędixisse; verùm & bella, tumultus, seditiones, inimicitias ex configuratione astrorum secundariò & consequenter eliciunt. Idq; faciunt primò ex themate vniuersali Anni ingręssus Solis in Arietem, eiusque Domino. Martem præponderantem reliquis, tumultus & seditionis esse authorem, inflammare, incendere, impellere animos certorum hominum ad rebellionem & iurgia, afferũt. Albumasar scientiam bellorum & præliorum ex dominio Martis, ex eiusdem Coniuncto, Opposito, & Quadrato ad Saturnũ radio affirmat; imprimis verò si Mars constitutus sit in asterismis humanis: tum enim maximè metuendæ neces, cædes, interfectiones & vastationes igne & gladio.

Almansor asserit, coniunctionem Saturni & Martis iuncta Luna Saturno in latitudine, portendere famem & mortalitatem: si verò eadem Luna iungatur Marti in latitudine, futurum vt mutentur Reges, & multum effundatur sanguinis, fiatque prælium in eo loco, qui significatur isto signo, in quod

n quod Coniunctio incidit: Item ex Coniunctione Saturni & Iouis in signis mobilibus cognoscitur commutatio status mundi: simile eliciunt ex eorum coniunctione in fixis signis.

Ast Haly Arabs contemplatur partem imperfectionis à Marte in Solem proiectam à gradu Solis, hoc est, Martem primò subtrahit à Sole, postea producto rursus addit Solem, & hanc regulam extruit. Si pars illa locum Martis occupauerit, aut eius malignũ radium, vel asterismum igneum, eo anno significari bella. Verùm vt vir doctissimus Origanus in tertia parte Astrologiæ, c. 4. fatetur, hoc ipsum, vt & alia Arabum præcepta, commentitium & vanum est. Quocircà simpliciori viæ insistens, bella & seditiones ex astrorum positu posse prædici quadantenus, non nego. Displicent tamen illi, qui statuunt, magnam illam omnium Planetarum in Piscibus coniunctionem, quæ contigit Anno 1524. prædixisse seditionem rusticorum, ex qua ortum bellũ difficile, ad quod tanquam commune incendium extinguẽdum, commotus est totus orbis Imperialis; rationem enim allegant hanc, quòd Luna plebeios & rusticos significet, hanc autem tunc temporis opposito radio à Planetis fuisse exceptam. Produxisse ergò illum seditiosum spiritum in præcordiis rusticorũ,

Rusticos verò ideo Lunâ designare, eò qd' vt Luna mutabilis, rustica ita progenies nesciat habere modum. Verùm vtrumque falsum. Nam primò in tota Astrologia decantatum est, Saturnum rusticorum patronum ratione agriculturæ esse, Lunam verò Turcarum, idq; propterea, quòd illi suis vexillis Lunam dimidiatam appingant; bella certè ratio, digna herclè patella operculo. Cur enim non æquè horum figmentorum artifices aquilam, asterismum participans naturam Martis, denotare Romanum Imperium, eò quòd vexillum Imperij Aquilã depictum habeat, affirmant: cur non vrsam maiorem laudabilem gentem Bernensium, minorem Gallensium designare dictitant? an ideo fortasse, quòd Aquila Imperij sit biceps, cœlestis verò vnius capitis, & volet? an propterea, quod cęlestis vrsa caudam, illarum verò sine cauda vexillis insigniorum loco affigatur?

Dolendum herculè tantam scientiam tot futilibus, & anilem superstitionem olentibus præceptis ferè oppressam & sepultam videri. Nam si talis in Piscibus magna Planetarum synodus, illam rusticorum ad arma & seditiones concitationem præsignificauit, cur non Anno 1583. quo in eodem asterismo Piscium coniunctio Planetarum magna fuit, iidem motus contigerunt? sed

Mar-

Martis forsitan præsentia, cùm sufficiat radius, defuit? Astrologi itaque veri hanc ad seditionem & tumultum dispositionē metiuntur ex qualitate complexionum & naturarum Planetarum, quos nihil tamen, nisi motu & radio efficere compertum habent. Quod itaque complexionem attinet, certum est bello & Choleræ præfici Martem, qui in ea concitanda non modicam obtinet vim. Proinde cùm ipse fortis in aliqua Coniunctione siue Planetæ, siue Asterismi fuerit, efficacissimè in hunc sibi destinatum humorem impellendo & commouendo agit: ob quam caussam & bello præficitur, cū calidus & siccus, adurensq; sit, impetuosus, igneus, fulmineus, procellosus, qui sibi mācipatum, quo ad humorem, hominem eo maximè tempore, quo fortis existit, ad cædes, iurgia & seditiones impellit, calcaria subdit, & quodammodo in rabiem agit. Huius influentiæ Martialis color ipsius, qui rutilus, igneus, ideoq; oculos lædens, testis est. Licèt autem Philosophi perhibeant, varietatis coloris in Sole & Luna caussam esse vapores fumosos, aliasque exhalationes, quę obfuscātes Solem, sanguineum eum nobis præbeant, vt beneficio huius rationis colorem à simplicioribus cœlestibus corporibus separarent, attamen aliud statuendum esse, penitiùs rē consideranti videt.

Duplex enim color aſtris ineſſe deprehenditur, alius natiuus & cognatus, alius verò accidentarius & alienus. Priorem fluere à Planetæ natura, nec in aere, ſed in ſuperficie corporis Planetæ apparere probabilius eſt: Poſteriorem cauſſant vapores, iſque Planetæ non ineſt, ſed aëri tenebroſo: Quocirca quod colorem attinet natiuum, ſemper is eodem modo ſe habet: perpetuò Mars rutilus, Saturnus plumbei coloris eſt. Idem de Ioue & Venere dicendum, qui Planetarum venuſtiſsimi ſunt, ſuum colorem viuidum, oculos mentemq; humanam illuſtrantem, eundem ſemper reſeruant & retinent, licèt per accidens aliquando à vaporibus denſioribus intercipiatur. His bellè conuenit Aſtrologorum iudicium de natura ſtellarum certè ſapientiſsimum ex colore deſumptum. Nec enim omnes ſtellæ fixę eundem colorem habent, ſed variant: & ſcintillant præterea, qua nota ſeparantur ſtellæ fixæ ſiue octauæ ſphærę à ſtellis erraticis ſiue Planetis; ſed quæ cauſa ſcintillationis ſit, ancipites quęrunt Philoſophi, nũ igitur diſtantia & debilitas viſus? quod quidem omnibus in ore, non congruit tamen ad ſenſum, cùm viſus magis debilis ſit circa minus lumen, quàm verò circa maius. Aſt minores ſtellæ licèt deprehendantur, non ſcintillare tamen animaduertuntur, quamuis

uis maiores, id eſt, primæ magnitudinis ob nimiam ſcintillationem ferè ex loco proſilire videantur. Exemplum præbeat Canicula, ſiue ſtella illa primę magnitudinis, quam Canis maior in ore habet, omnium ſtellarum fixarum notiſsima, quę adeò ſcintillat, vt Aſtrologis ex hoc effectu ſcintillationis arguendi ad effectum in his ſublunaribus occaſionem dederit. Etenim huius ſtellæ congreſſum cum Planetis inquietum reddere animum hominis, idem efficere eius ortum aut occaſum ſtatuunt. Quod ſapientiſſimi illi nequaquam dixiſſent, ſi ex debilitate viſus vlla ſcintillatio contingeret: nam quem quæſo hæc effectum produceret? Verùm vtvt ſit, nos noſtram, quam nacti ſumus, Spartam exornabimus.

Mars ergò deſtinatum, ſuæq; naturæ cōgruentem humorem commouet, & per hoc homo ad iram, rixas & iurgia, maximè dato obiecto mirum in modum armatur. Quemadmodum enim lignum aridū citiùs flammam concipit, conceptam tenaciſsimè eandem in maius augendo retinet: ita in microcoſmo, quando bilis inflammata, & ad ſæuitiam diſpoſita eſt, vbi obiectum obrepſerit, in rabiem ferè agit hominem; qualem motum in canibus oriente Canicula accidere & experientia teſtatur, & nobiliſsimi quique authorum rerum naturalium non

inficiantur. Licèt enim vir egregius Rantzouius in ſuo Calendario aſtronomico, æſtui Caniculari adſcribat illum effectum, veriùs tamen eſt, non ſolum æſtum, ſed occultam quãdam aſtrorum vim aëri permixtam huius rabiei cauſam eſſe. Si itaq; Mars ſolus fortis in ſigno ſuæ naturæ conformi radios ſuos aliis benefici Planetæ non admixtis in certam regionem terræ demiſerit, certum eſt, niſi Deus prohibeat, nil boni effecturos, ſed refractarium animum in liberis, diſcordiam inter amicos, ſeditionem ſubditorum aliosq; belli triſtes euentus polliceri. Vbi verò Iupiter ſuos radios miſcuerit, modò fortis & fœlix ſit, malo promptiſsimè obſtat, & forſitan omnino excludit. Venus autem, cùm & hæc facilè, licèt benefica, Martis malo propoſito adſentiat, non ſemper retundit malum, præſertim ſi debilis, in caſu, vel detrimento exiſtat. Hoc ipſo imitatur naturam mulierum, quæ licèt ad bonum finem creatæ & factæ ſint, tamen mutabiliores aurâ qualibet, huic vel illi applicatæ, plerunque mirificè variant, affectionemq; illibatam cum vitioſiſsima permutant. Eandem naturam habet Mercurius, qui admotæ ſtellæ naturam facilè induit. Non ſolus autem Mars, ſed & aſpectus ſingulares duorum maleuolorum tantarum cladium ſunt efficiens cauſſa.. Nam ſi radij

Satur-

Saturni miſceantur radiis Martis, & incidant per ſignum eiuſdem naturæ & qualitatis in certam regionem terrę, efficiunt homicidia, cædes, iurgia, præſertim ſi his iungatur Mercurius aut Luna, & hoc quidem maximè inter homines Cholericos & Melancholicos. Haly verò Arabs reliquit in ſcriptis, Coniunctionem Martis & Mercurij ſignificare adulterationem monetæ, ſapientibus moleſtiam & crudelitatem. Verùm & hoc præceptum vt Arabicum, ita cōmentitium eſt. Occidente itidem Marte cum Delphino, quod fit, quando in domus Saturni 27. parte conſiſtit, mirum in modū Martiales animi inflantur, vt vndique non niſi triſtiſsimas referri audias tragœdias. Vt itaq; Mars bellum indicit, & tranquillitatē concutit, ita Iupiter pacem firmat, iurgiisq; reſiſtit. Non ergo ſtatim homo radiis Martialibus ad bellum armatur, ſed inſuper vel leuiſsimum eius dari fomitem & materiam qua in flammam erumpens ira alatur & nutriatur, neceſſe eſt. Quemadmodum enim feram beſtiam ob feritatē facilè armamus, ita hominis plioſi mentem facilimo negotio extra ſedem ſuam euocamus, cuius nulla alia reddi poteſt ratio, quàm quòd ad irā naturâ aptus & idoneus ſit, quæ ira niſi refrenetur & cohibeatur recto mentis rationisq; dictamine, ſuperiore obtinēte partes,

plerunq; tristissimos parit effectus. An est quicquã, ait Cicero, similiùs insaniæ, quàm ira? Quam bene Ennius dixit: Initium insaniæ, Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum & factorum, quam partem habẽt sanitatis? Hinc quoque Seneca rectissimè ait, iratum furientium insignia omnia habere. Nam inquit vt furientium certa indicia sunt, audax minaxq́; vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra, & vehementiùs acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt.

Ex his itaq; luculenter apparet, Saturnum melancholicos, Iouem sanguineos, Martẽ cholericos, Lunam & Venerem phlegmaticos, Solem sanguineos concitare: qua ratione itaq; homo cõcitatis humoribus ad irã vel cõcordiam armetur, exposuimus. Illud nondum exploratum habemus, an in omnes agat promiscuè Planeta, an verò certam suæ operationi destinatam habeat gentem & nationem. Et constat quidem vulgum Astrologorum singulis gentibus proprium præficere Planetam instar patroni, quem significatorem vocant. Saturnum & Mercurium Iudæos, Iouem & Solem Christianos, Martem, Venerem & Lunam Turcarum gẽtem designare tradunt. Et Saturnum Mercuriumq́; quidem ideò, quòd Iudæi indu-

ſtrij, loquaces, & parandæ rei pecuniariæ ſtudioſiſsimi ſint: Iouem & Solem verò ea de cauſſa Chriſtianorum ſignificatores dicunt, quòd Solis diem Chriſtiani, vt Iudæi Sabbathum propter Saturnum celebrare, magiſque fidem & iuſtitiam colere ſoleant. Lunam verò ideo Turcas & Tartaros ſignificare, quòd laborioſiſsimi ſint & vagi, eiuſque in vexillis imaginem referant, dictitāt. Venerem verò ea de cauſſa, quòd libidini indulgeant: Æthiopes & ſimiles gentes idololatricas deſignare perhibent Venerē, cui Luna iūcta ſit in latitudine: ob id etiam multos deos, multasq; illorum formas pro varietate formarum in Luna, colere & adorare: Principum & nobilium familiarum ſignificatorem Solem agere, palàm fatentur.

Verùm horum artificum opinio adeò vana & futilis eſt, vt ipſa ſemetipſam refellat. Meliùs itaque conſultum eſſe de, cori & præſtantiæ Aſtrologiæ, ſi dominum gentis, non ex labore, libidine, vexillis, Veritate, Iuſtitia, dotibus mētis, culturaq; dierum: ſed ex complexione generali eligerent & coaptarent; Sic enim ad ſcopum veritatis magis collimarent, realeq; dominium conſtituerent. Etenim apparet, ſi quid Lunæ aut Veneri deteriùs accidat, id Phlegmaticos, qui humidæ & frigidæ naturæ ſunt perſentire, cuiuſmodi complexionē mulieres, mulie-

rosi, infantes & proximè ad sexum fœmininum accedẽtes obtinent, idq́; ideo, cùm Planetas in hunc vel illum hominem agere, non quatenus illius vel alterius religionis, aut opificij, sed quatenus corpus habeat humoribus prȩditum, constat. Si radij Solis & Iouis vitientur, sanguineus patitur circa humores mutationem. Similiter Saturnus malè tractatus, infœlix & infortunatus, suæ infelicitatis partem communicat cum melancholicis. Mars verò violentus, infortunatus, choleræ corruptionem, ex eaq́ue resultantem morbum præcinit. Fortunatus concitat cholericos ad iram, eosq́; ad rixas & arma commouet efficaciter. Generalis itaq; gentis alicuius habitudo si inclinet ad complexionum harum aliquam, meritò & adsciscit sibi illius complexionis dominũ, eiusq́; bonæ & malæ habitudinis capax est: Sic Germani cholericæ complexioni proximi sunt, imò eandem sibi iure quodammodo proprio vindicãt, cuius rei Tacitum, aliosq́; rerum Germanicarum scriptores testes allegare & citare possumus: quid impedit ergo, quominùs illis, quoad cõplexionem, præficiatur Mars, licèt hodie cum maxima auorum ignominia Germani pleriq; luxuria diffluant, tamen cùm ad id magis, quod in potentia, quàm quod in actu est, respici debeat, quominùs Martem & ho-

dier-

diernis attribuamus nil impedit. Luxus quidem mores mutat, ſepelit, tumulatq́; aliquandiu vigorem virilem, verùm non tollit aut adimit, ſemperq́; maximè duriùs ſolito hæc gens habita & affecta ſeſe exerit. Quamuis non diffitear, etiam generoſiſsimas naturas otio & luxu adeò opprimi, vt eius vix minima remaneant veſtigia. Quod accidiſſe Lydis rebellantibus author eſt Iuſtinus, quibus à Cyro victis arma & equi adempti, iuſsique cauponas & ludricras artes lenociniaq́; exercere. Et ſic gens induſtria, quondam potens, & manu ſtrenua, effœminata mollicie luxuriaq́; virtutem priſtinam perdidit, & quos ante Cyrum inuictos bella præſtiterant, in luxuria lapſos otium ac deſidia ſuperauit. Vnde Annibal ridetur ab Imperatore Romano, quod militem ſub tectis æſtiua agere permittat. Sic Scipioni in Africam volenti traiicere ad delendam Carthaginem, auocandumq́; Annibalem ex Italia, exercitium militare ita cordi fuit, vt inde apud Senatum Romanum laudem optimi & ſolertiſsimi Imperatoris, de ſalute & reſtitutione patriæ ſoliciti detulerit. Nō itaque illicò gens mutatis moribus mutat & complexionem, cuius ſemina ſemper durant, & deriuantur in poſteritatem, proinde & erumpentia aliquando gentem priſtino nitori, vigori & laudi reſtituunt, ſepul-

ta tamen tantisper latent, donec ab iniurioſa & inclementi oppreſsione excitata priſtinæ perfectioni reſtituuntur: cuius rei Heluetica nobilis & antiqua gens olim oppreſſa, nunc verò in ſua priſtina libertate florens & vigens, veriſsimum exemplum ob oculos ponit, cuius Deus vt ſucceſſus proſperet & ſecundet, obnixè precor. Abſit itaque vt ſtatuamus, Planetam in hanc vel illam gentem eatenus agere, quatenus ſit vel Arabica, Turcica, Italica, aut Chriſtiana. Impium enim eſſet, Planetam religionis ſacræ noſtræ ſtatuere patronum, cùm præter Chriſtum, verum Eccleſiæ fundatorem, nullum alium agnoſcamus aut recipiamus. Verùm eatenus, quatenus huic vel illi complexioni magis proxima gens eſt, dominum conſtituere nil eſt quod impediat.

Ex hoc ipſo rurſus apparet, quantis ſuperſtitionis diabolicæ inuolucris vera Aſtrologica præcepta ſint inuoluta. Et hęc de bello, &c. dicta ſufficiant: nunc breuiter etiam de perplexa materia ventorum aliquid attexemus.

CAPVT XVI.

De Ventis.

MAteriæ Ventorum perplexitas tanta eſt herculè, vt vix vllus ſit Aſtrologus, qui non hoc in caſu aciem ingenij humani debilem eſſe fateatur. Ariſtoteli lib. 2.

meteor.ca.4. est multitudo fumosæ exhalationis è terra progressæ, circum terram motæ agitatęq; aërem secum rapientis: cui nec sacra Scriptura auctoritatem denegat. Ventorum autem alij flant à Septentrione, alij à Meridie, alij ab Ortu, alij denique ab Occasu.

Saturnus mouet ventos Orientales, si insuper in themate reperiatur in Oriente, Orientalisq; existat.

Mars verò commouet Occidentales, si vel cum Sole congrediatur, aut cum asterismo suæ naturæ occidat, qualis Delphinus, Aquila & Hyades, &c. sunt.

Iupiter verò Septentrionales flatus caussat, si & Septentrionalem latitudinem habeat, aut cum asterismo suæ naturæ conformi oriatur, vel occidat.

Venus autem australes procellas concitat, maximè si in meridionali latitudine simili asterismo adsociata occidat aut oriatur.

Mercurius omnes adiuuat. Procellarum autem caussa est, si cum Ioue congrediatur, aut radio, aut corpore, dum oritur aut occidit cum stella ventosa. Retrogradus maximè in puncto directionis ventos profusissimos parit.

Mars directus turbinum caussa est. Vt autem probabiliter ventorum flatus progno-

ſticationibus inſerere poſsis, ſingularum Lunationum themata inſpicienda erunt,& ex loco diſpoſitoris luminationis,naturaq́; cùm ipſius,tum etiam aſteriſmi,cum quo oritur aut occidit,venti vel occidentales, vel orientales,meridionales,vel ſeptentrionales depromendi erunt.

Hoc tamen præſuppoſito, hyeme Occidentales,Septentrionales & verè Orientales,autumno meridionales,æſtate occidentales & Septentrionales eſſe crebriores. Qualitatem verò horum ventorum quod concernit,notandum, quòd orientales vehementes hyeme catharrhos moueant,cerebroque minùs ſalubres ſint, occidentales verò humectent, auſtrales peſtilentes febres cauſſent;Septentrionales aërem ab omni putredine purgent, mentemq́;hominis erigant ad ſerenitatem: Orientales & Septentrionales plerunq; ſerenam producant polliceanturq́; tempeſtatem: Auſter & Fauonius verò pluuioſi ſunt, quamuis per accidens nonnunquam ſerenum reddant aërem. Et certè, qui ventorum caſum diligenter præuidere poterit,non eſt,vt de tempeſtate præenoſcenda laboret multùm,cùm habito illo,hoc conſequatur ſponte. Verùm de his videre licet virum doctiſſ.Origanum ad quem,tanquam perfectum Aſtrologicarum rerum Notarium, ſedulum lectorem

remit-

remitto, cùm noſtrum hactenus fuerit vera principia à falſis diſcernere. In genere verò ſciendum, impulſiuam cauſſam ventorum plerunque reconditam, requirendam verò in aſteriſmo Occidente vel Oriente, parumque Planetam ad immutandum huius naturam poſſe.

Effectus verò ventorum circa tempeſtates ſunt hi.

Auſter meridionalis calidus eſt & humidus, fulmine percutit, pluuias emittit latiſſimas, nutrit nubes, peſtilentemque reddit aërem.

Septentrionalis verò eidem oppoſitus, frigidus eſt & ſiccus per ſe, licèt nonnunquam & niues ſpargat; negat pluuias, ſanitatem tuetur, frigora inducit ſicca, flores & terræ fructus adurit.

Aquilo collateralis gelidus eſt & ſiccus, naturâ eiuſdem ferè efficaciæ cum ſuperiore.

Circius frigidæ & ſiccæ naturæ efficit turbines, niues & ventorum coagulationes.

Ab exortu Subſolanus flat, calidus eſt & ſiccus, quamuis nonnũquam per accidens frigidiſsimus euadat: vti experti ſumus anno 1603. ſub principium Ianuarij. Eo enim tempore Saturnus, qui Orientales ventos ciere ſolet, cum poſteriore lucida Lancis

Libræ occidebat, eundemq; ventum nobis generabat. Vere rigidior est: Æstate verò suauis, temperatus, purus & subtilis, nubes nutrit. Corpora sana reddit, sanitatemque pristinam tuetur, elicit verò flosculos, quod de Vernali cœli facie excipias.

Fauonius verò ab Occasu flans frigidus est & humidus, frigora relaxat, floresq; producit, morborum, pluuiarum, & tonitruum caussa existit euidens. Idem possunt Aphricus & Corus. Quamuis verò non libenter dissentiam à iudicio virorum doctorum, tamen cùm nullus in verba magistri iurare teneatur: videtur mihi qualitas Fauonio adscripta suspecta. Etenim cùm aliàs hic ventus Græcis vocetur Zephyrus, eò quòd vitam inclementia frigoris hyemalis amissam, plantis & quibusdam animalibus inspiret, videmus enim omnia, flante in Vere Fauonio, quodammodo lasciuire, vita verò non in frigido & humido, sed humido & calido consistat; probabiliùs videbitur, non à contrario, sed à simili hanc vim sopitam inclementi rigore hyemalis circuli excitari. Etenim frigus non excitat calidum, licèt in id agat: agit autem vt vincat, non vt vincatur: cùm tamen Fauonius suis qualitatibus euocet naturalem vim, cum eadem non pugnet, sed ferè victam & oppressam erigat & restauret. Dicerem itaque Fauonium nõ

frigi-

frigidum, ſed moderatè calidum, non caliдiſsimum eſſe; cùm omne exceſsiuum naturæ inimicum ſit. Et hæc de Ventris dicta ſint: Nunc ordo requirere videtur, vt paucis de diebus agamus Criticis.

Capvt XVII.

De Diebus Criticis.

DE Peſtis, morborumq; omnium, qui diuinitùs immittũtur, g nerationis cauſsis in aëre latitantibus, diximus: proximum fuit vt demonſtraremus ventos nonnullos pro diuerſitate exhalationis nonnunquam grauiſsimorum morborum ſemina ſpargere: quam ipſam licèt tractationem perplexam alia excipit, quæ de augmento & decremento morborum ex aſtrorum ad Lunam configuratione colligendo agit & tractat.

Etenim ita naturâ comparatum eſt, vt ſi humor corporis humani ab aſtrorum infœlici inuaſione concitatus ſeſe optimè habeat, ſuauiterq; à Luna tractetur, morbi acrimonia miteſcat: ſi verò duriùs, & illâ infeliciter poſitâ habeatur, de vita periclitetur ægrotus.

De eo verò conſtat per criſin. Criſis autem eſt vehemens in morbis ad ſanitatem, vel mortem mutatio. Ea autem colligitur ex Lunæ affectione. Etenim Luna bene

affecta,sanitatem, vtpote cùm humores optimè disponat: duriùs habita & afflicta, morbi incrementum promouet. Ea enim & quàm efficaciter, & quàm promptissimè in humores agit,eosq; significat, omnemq; siue fœlicem, siue infœlicem habitum cum iis communicat: quod in iis, qui periculoso,& ad solutionem properante morbo premuntur,Plenilunium ob augmentationem humorum plerumque exitiosum, satis euincit.

Quocirca Medici,Philosophi,vt& Astrologi concordi suffragio partus, animalium fœtus,arborum fructus,hominum & pecudum humores, morborumq; variationes, pro ratione Lunaris motus & luminis augmento, diiudicare solent. Crisin itaq; illam vt præcisè colligas, obseruabis non vulgari diligentia principium morbi, tempusq; incidentiæ.Etenim Crisis cùm vicesimo septimo die & quarta vnius parte conficiatur, necessariò ad computationem veram habendam requiritur scientia principij & incidentiæ,vt ita dicam,morbi.Peragitur itaque Crisis per dies Criticos, à quibus nomen habet,Iudicatiuos,& Intercidentes.

Criticorum dierum sunt quatuor.Primus in diem initij siue incidentiæ morbi incidit,vocaturq; Coniunctio. Alter in septimū diem, appellaturque quadratus, eò quod tunc

tunc Luna gradum, in quo fuit tempore principij morbi per quadratum radium aſpiciat & contueatur.

Tertius contingit die decimaquarta, vocaturq; Oppoſitio, conſtans 180. gradibus. Quartus fit plerumque viceſimo primo die morbi, vocaturq́; Quadratus.

Vti verò Luna ad eundem gradum, quem tempore initij morbi occupauit, regreſſa fuerit, iteratur Criſis, quod plerunq; viceſimo ſeptimo die & quarta vnius contingit.

Critici veró ideo dicuntur, quia de grauitate aut leuitate morbi indicium non obſcurum exhibent.

Iudicatiuorum ſunt itidem quatuor: horum officium eſt de futura Criſis qualitate pronunciare.

Primus fit plerumq; die quarto à principio morbi computato: ſecundus die vndecimo: tertius die decimoſeptimo: quartus viceſimoquarto ſeſe offert, idq́; diuerſimodè, ſecundum Lunæ celeritatem vel tarditatem accipiendum eſt.

Luna veró vbi à Critico aut Iudicatiuo per 22. grad. & 30. minut. progreſſa fuerit, conſtituit primum intercedentem, quos gradus intra duos dies cùm plerunque abſoluit, euenit vt habemus octo Intercedentes.

Proinde Ptolomæus totum Zodiacum

in 16. partes æquales secat, vnicuique 22. grad.& 30.minut.attribuendo. Exposita itaque ratione constituendi Criticos dies, Iudicatiuos & Intercedentes, paucis exponemus rationem effectuum eorundem. Finis huius inquisitionis est, vt sciamus diem quo ægrotans meliùs vel peiùs se habiturus sit.

In genere veró quod attinet dies, vti iam diximus, Iudicatiuus de Critico iudicium exhibet non incertum: etenim qualis Iudicatiuus, talis probabiliter Criticus, quamuis maiori cum euidentia, futurus est. Luna itaq; primo die Critico maleuolorum Con iunctione aut radio si lædatur, statim humo ribus hanc suam pasSionem affricat. Saturnus frigidos, Mars siccos & calidos, Venus & Luna frigidos & humidos, Iupiter & Sol sanguinis putrefactionem præsertim malè affecti minantur.

Luna itaq; vbi afflicta à maleuolo deprehenditur, primó maleuoli natura, postmodum & signum, quod tunc temporis occupat Luna, obseruandum erit. Quodlibet enim signum certam in corpore humano & sibi destinatam à sapientibus habet partem, quam dirigit. Aries præest capiti, faciei, & partibus capitis, oculis, dētibus & auribus. Taurus veró collo, ceruici, gutturi & voci. Gemini humeris, brachiis, manibus & scapulis.

pulis. Cancer pulmonibus, pectori, costis, mamillis, epati & spleni. Leo cordi, stomacho, dorso, lateribus, diaphragmati. Virgo ventri, intestinis, diaphragmati. Libra lumbis, vmbilico, renibus, femoribus, natibus, vesicæ. Scorpio pudendis, vesicæ, ano. Sagittarius coxis, femoribus. Capricornus genubus, & popliti. Aquarius tibiis & crurib. Pisces pedibus & talis. Et quamuis hic vir quidam doctissimus miretur, quod prognostica, vt illius vtar verbis, respondeant euentui, cùm istius distributionis causa sit ignota, attamen vix est (pace tanti viri sit dictum) vt semper & vbiq; Astrologica necessitate respondeant: & si quando taliter secundum prognosticationem res euenerit non arti, quæ certo fundamento hoc in casu non nititur, necessitatemq́; cohærentiæ nullam assignat, sed fortuitæ prædictioni acceptum ferendum est. Lunam idcirco afflictam in Ariete defectus Arieti subiunctos plerunque portendere dicunt. Sed & nonnunquam Planeta affligẽs qualitatem, maximè vbi fortis & efficax (fortius enim semper vincit debilius) morbo tribuit, cùm vnusquisq; illorum & certas corporis humani partes, earumq́; partium definitos habeat attributos defectus. Facilimè mouent morbos Saturnus & Mars, eosq́; exitiosos & diuturnos; humanæ naturæ minùs inui-

dent cæteri. Saturnus autem denotat dextram, splenem, vesicam, ossa, dentes, harumque partium morbos. Ab eo caussantur omnes morbi frigidi, qui oriuntur ex humorum defluxione ad membra proposita, vt Podagra, scabies, tabes, paralysis, cancer, lepra, Icteritia nigra, quartana febris, Iliaca passio, hydrops, perniciosi catharri ad pulmones & pectus fluentes, auditus grauitas, dolor dentium, tussis, aliјque morbi ex humore melancholico originem ducentes.

Iupiter pulmoni, costis, cartilagini, epati arteriis, pulsici, semini præest, horumque membrorum defectus caussat & disponit, vt Apoplexiam, Cardiacam, Spasmum, Cóuulsiones & stupores, peripneumeniam, Pleurisin, Arigmam, passiones spinæ dorsi, morbosq; præterea, qui ex flatibus, fœtore, aut putrefactionibus originem habent.

Mars designat aurem sinistram, fel, renes, venas, pudenda, harumq; partium morbos dirigit, vt Pestem, apostemata feruentia, Icteritiam flauam, fistulas, carbunculos, acutas febres, Febrem tertianam, Epilepsiam, Dissenteriam, Febrem quotidianam, similesque defectus, qui ex cholera abundanti caussantur.

Sol afflictus afficit cerebrum, cor, neruos, visum, oculos, & latus dextrum, creat-

que

que hos morbos, vt Syncopen, Cardiacam, Ophthalmiam, Spaſmum, fluxũ oculorum, Catharrum, frigiditatem Epatis & ſtomachi, puſtulas matricis, & partium inferiorum.

Venus matrici, renibus, genitalibus, mamillis, gutturi, lumbis, natibus, epati, & ſpermati præeſt: efficit paſsiones matricis, ſuffocationem, Priapiſmum, gonorrhæam, epatis & ſtomachi imbecillitatem, ex cauſſa frigida & humida, ſcabiem Gallicam, lienteriam, & frigus ſtomachi.

Mercurius præfectus eſt cerebro, ſpiritibus, imaginationibus, memoriæ, linguæ, manibus, digitis, felli, oſsibus, cruribus, & cerebri neruis. Ægritudinibus verò horum membrorum dominatur ſubſequentibus, vt maniæ, priuationi ſenſus communis, læthargo, deliriis omnis generis, balbuciei, & linguæ impedimentis, raucedini, morbo caduco, tuſsi, abundantiæ ſputi, opilationi fellis, vomitui, Catharris ex abundantia humorum in capite, omnibuſq; cæteris morbis, qui ex abundãtia phlegmatis oriuntur.

Luna dirigit cerebrum, oculum ſiniſtrum, ſtomachum, ventriculum, latus ſiniſtrum, inteſtina, veſicam, guſtum, membra genitalia, & epar in muliere. Ægritudines verò has ſignificat, vt Epilepſiam, Paralyſin, Colicam, Catharros, menſtrua, apoſtemata

phlegmatica, & ægritudines prouenientes ex opilatione venarum.

Et hos quidem morbos Planetæ significant. Vbi verò iam de morbi qualitate constat, in incrementum & decrementum eiusdem sedulò inquirendum est. Ast morbus tum videtur incrementum accipere, quando Luna die Critico à maleuolorum radiis afflicta deprehenditur. Nam quod de domorum infœlicibus qualitatibus traditur, id omnino fortuitum est, & absurditatem anilem sapit, cum rei veritate verò nullam prorsus habet affinitatem. Admiratione ergo dignissima res, quod Philosophus ille nostri temporis exactissimus, omnibusque numeris absolutus, huic superstitioni tantum tribuat.

Lęditur verò Luna enormissimè per oppositionem & quadratum, qui aspectus inimicitiæ sunt, dicunturq; ab Astrologis. Sed & à beneuolo lædi potest, non quidem per se, sed per accidens, quatenus alio læsus & afflictus inimico radio contuetur Lunam. Maleuolus verò, naturæq; inimicus Planeta vbi eandem humorum significatricem radio amico excipit, plerunq; indifferentem & ancipitem, natura cum morbo in æquilibrio existente, morbum reddit efficitque. Quod si verò Luna beneuolorum amicabilibus excipiatur radiis, ipsam membri corporisq;

porisq; affectionem deprehendimus mitigari & euanescere: aut certè eo tempore clementiùs cum ægro agi, vtpote suauiter humoribus concitatis. Huius affectionis nuncium fert Iudicatiuus, qui plerunque speciem insequentis mutationis præ se fert, quã deinde Criticus reipsa ponit.

Iupiter itaq; & Venus amicis radiis Lunam contuentes in signo eorum naturæ conformi, sanitatem & *εὐεξίαν* corporis ægri restaurant, eam pollicentur, naturam adiuuant, corroborant, & aduersus aculeos morbi armant. Mercurius anceps & dubius ex loco vbi consistit, & aspectibus aliorum ad ipsum, sobriè iudicandus est. Cum bonis bonus, cum malis mali sequitur plerunque naturam.

Saturnus verò & Mars inimici naturæ eandem destruunt, morbumq; in peius trãsmutant. Degeneratio enim his fortibus die Critico existentibus, metuenda est non iniuriâ. Hinc accidit, vt febricitans aliàs meliùs, aliàs verò peius se habeat, febrisq; acris stimulos vehementiores experiatur.

Mihi verò rem religiosiùs consideranti, hæc partium morborumq; corporis distributio videtur suspecta: nam præterquàm quod nullam habeat solidam rationem, si non ex qualitate Planetarum desumatur, accedit etiam, quod superstitiosa sit: quis-

quid enim hoc loco Planetis attribuitur, id videtur ex ſuppoſitione humana nullam realem neceſsitatem cauſſante procedere. Arbitrarer itaq; meliùs actum, ſi ex qualitate Planetę morbum, ex eo ſedem, quam occupare conſueuit, excutiamus. Qualitas enim Planetæ prædominans eiuſdem temperiei reddit morbos, hiq; non promiſcuè quodlibet membrum, ſed certum habent, & à natura deputatum, cui vt inſideat neceſſe eſt. Verùm hanc rem omnium optimè Medici, qui qualitatem cuiuslibet morbi & affectionis ad vnguem nouerunt, explicare poterunt. Qua ratione verò mutatio morbi vel ad ſanitatem, vel ad mortem dirigatur, id ad Aſtrologos pertinere videtur, qui ex habitudine Lunę fœlici vel infœlici euentũ non obſcurè colligunt. Quod tamen non de fatali (quam pius Aſtrologus reſpuit) ſed naturali neceſsitate accipiendum eſt: perniciosam humorum concitationem exitioſam infirmo eſſe augurantur Aſtrologi, aduerſus quam vt & ipſorum aſtrorum vim quàm validè Deus ſuos armare poſsit, neutiquam ignorant. Et hæc de Criſi.

CAPVT XVIII.

De diebus Aegyptiacis, & eorum obſeruatione.

CRiticorum dierum rationem dies Ægyptiaci videntur imitari : ita dicti, quòd

quòd Deus omnipotens in illis percuſsit Ægyptum. Horum inuentio ad Ægyptios ſpectat, qui firmiter credebant eos, quos illis corriperet morbus diebus, vix, aut nunquam euadere: Tales quilibet menſium duos habet: Ianuarius primum & viceſimũ quintum, Februarius quartum & viceſimũ, Martius primum & viceſimum octauum, Aprilis decimum & viceſimum, Maius tertiũ & viceſimum quintum, Iunius decimum & decimum ſextum, Iulius decimum tertium & viceſimum ſecundum, Auguſtus primum & viceſimum primum, September tertium & viceſimum primum, October tertium & viceſimum ſecundum, Nouember quintum & viceſimum octauum, December ſeptimũ & viceſimum ſecundum ſortitur.

Non hac definitione contenti quidem, ſed & horas dierum adſcribere, & genus percuſsionis metuendum exprimere non verentur. Impios & ſuperſtitionis plenos verſus Bedę apud Ranzouium videre licet. Verùm harum quidem Ægyptij ſuperſtitionum & abominationum vtinam ſoli & auctores & cultores permanſiſſent: res vlteriùs proceſsit, & Paduanum, & Bedam, alioſque, quibus decus Chriſtiani nominis cordi eſſe debuiſſet, inuaſit confecitq́;. Aſt hi ſunt laquei & inſidię antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

Proinde Canones omnem occasionem colendi dæmones præcidentes, Ægyptiacorum dierum, vt & Calendarum Ianuarij culturam & venerationem prohibent & abolent ſub pœna anathematis. Non obſeruetis dies, inquit Auguſtinus, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Calendas Ianuarij, in quibus cantilenæ quædam & comeſſationes, & ad inuicem dona dantur, quaſi in principio anni boni fati augurio, aut aliquos menſes aut tempora, aut dies, annos, Lunæ Soliſq; curſum: quia qui has & quaſcunq; diuinationes, aut fata, aut auguria obſeruat, aut attendit, aut conſentit obſeruationibus, inutiliter & ſine cauſſa magis ad ſui damnationem, quàm ad ſalutem tendit: ſiue qui per quoſdam numeros literarum, & Lunæ, & per Pythagoricam necromantiam, ægrotantium vitam, vel mortem, vel proſpera, vel aduerſa, futuraq; inquirunt, ſiue qui attendunt ſomnialia ſcripta, & falſò Danielis nomine intitulata, & ſortes, quæ dicuntur ſanctorum Apoſtolorum, & auguria auium, aut aliqua pro domo facienda, aut propter coniugia copulanda, aut in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut pyctaciola pro quauis infirmitate ſcripta ſuper homines, vel animalia ponũt, præter Symbolum & orationem Dominicam, aut magicis falſitatibus in grãdinariis tempeſtatibus credunt.

dunt. Qui autem talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut ſuis domibus introducunt vt interrogent, ſciant ſe fidem Chriſtianam præuaricaſſe, & vt Paganum & apoſtatam, id eſt, retrò abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei grauiter in æternum incurriſſe, niſi eccleſiaſtica pœnitentia emendatus, Deo reconcilietur. Quis enim æſtimaret, quàm magnum peccatum ſit dies obſeruare, & menſes, & annos, & tempora, ſicut obſeruant, qui certis diebus aut mẽſibus, ſiue annis volunt & nolunt aliquid inchoare, eo quod ſecundum varias doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtimẽt tempora, niſi huiuſmodi magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus: qui talib. ait; Timeo ne fortè ſine cauſſa laborauerim in vobis. Quod licèt tanta celebritate & auctoritate per orbem terrarum in Eccleſiis legatur, plena tamen ſunt conuenticula hominibus, qui tempora rerum agendarum à Mathematicis ſuperſtitioſis accipiunt. Iam vero ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum aut huiuſmodi quorumlibet operum diebus, quos Ægyptiacos vocant, ſæpe etiam nos mouere non dubitant, c. non obſeruetis. c. non licet. c. ſi quis. c. quis æſtimaret. 26. q. 7. Grauiter certè, nec mirum, cùm abominatio pagana ſit apud Deum, diebus & temporibus ſuperſtitioſam attribuere effi-

caciam, vt habetur Deuteronomij cap. 18. verſ. 10. & 11. anathematizatur proinde non iniuriâ, cui nec inter populum Dei ſanctum locus vllus eſt relictus. Abſit itaque, vt aliquam his, quorum Eccleſia aboleuit obſeruationem, virtutem adſcribam, multo minus venerer, aut obſeruari ab alijs velim, licèt auctoritate mundana non vulgari fulciatur, paſsimq́; ſi non reuera, tamen figuratè colantur, cuſtodianturque. Nos veró, qui verorum Chriſtianorum ambimus nomen & laudem, Apoſtoli verba amplecti debemus, qui, ſiue manducemus, ſiue aliquid aliud agamus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris mundi nos facere debere docet, vtpote, in quo moueamur, viuamus, & ſimus.

Quàm rectè veró ac piè fecerint illi, qui hoc impium & ſuperſtitioſum dogma propagant, ipſi viderint, quibus olim procul dubio in decretorio illo die grauiſsimæ rationis difficilis valde calculus erit ponendus. Et hæc de dierum Ægyptiacorum obſeruatione ac cultura impia dicta ſufficiant.

CAPVT XIX.

De Antiſciis.

AEgyptiorum figmẽta ſuperiore iam capite explicare refutareq́; inceperam, non quidem alio fine menteq́;, quàm

vt falſitatem eorum axiomatum demonſtrarem, quæ paſsim & à magnæ auctoritatis viris aſſeruntur & recipiuntur. Verùm cùm hæc dierum veneratio aut declinatio ab Idololatria non differat, (perinde enim eſt, ſiue lignum, ſiue aliud venerereris: c. ſed & illud adde. 26. q. 2.) primò à Deo ter Opt. Maximo per Moyſen ſeuerè eſt prohibita, vti conſtat ex lectione legum Moſaicarum, Leuit. c. 19. Num. c. 23. Eſai. c. 2. verſ. 6. Mich. c. 5. v. 2. deinde & Canonicâ Cenſurâ dignã iudicarunt Canones: c. non licet. c. ſi quis Calendas. c. non obſeruetis. c. quis æſtimaret. 26. q. 7. c. 1. c. ex tuarum. ext. de ſortilegis. Canonico etenim Iuri omne ſortilegium abominatio eſt. Sunt autem ſortilegi, qui prætextu Religionis per quaſdam ſortes diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione facta futura promittunt. Ariolorum itaque, Aruſpicum, incantatorum, & omnium ſortilegorum artes, cùm ſint ex quadam peſtifera ſocietate dęmonum & hominum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitùs ſunt ab Eccleſia eliminandæ, & ſuperſtitioſi artifices niſi per pœnitentiam reſipiſcant, perpetuo anathemate feriendi, & ſi clerici fuerint, degradandi. c. ſi quis. c. nõ liceat. c. ſi quis epiſcopus. c. aliquanti. c. ſortes. c. ſi quis clericus. c. contra idolorum. c.

augurijs. c. episcopi. 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. & 7.

A Sortilegorum verò fermento quomodo quęso se purgabunt hi, qui quodammodo sorte electis diebus (quæ enim quæso firma stabilisq; ratio huic subest figmento?) quibusdam vim & virtutem singularem adscribunt, eosq; vel colendos vel declinandos non modò ipsi arbitrantur, sed & alijs vt persuadeant, omnem mouent lapidem. Ex Ægypto quidem omnis, si quæ vnquam in Astrologiam irrepsit superstitio, vnà cum Astrologia dimanauit. Etenim ea regio, cũ præbeat vndiquaque conspiciendum cœlum, & Astronomiæ & Astrologiæ mater extitit, illius leges conscripsit, huius verò hypotheses examinauit, ne minima quidem cœli obumbratione obstante: ratio autem huius perpetuæ serenitatis obscura nõ est, cùm ei regioni à Solis perpetuo imminentis æstu (nec enim à vertice siue puncto Zenith longiùs, quàm gradibus 23. & dimidio recedere expertum habemus) omnis materia nubis & pluuiarum denegetur: vnde licèt cœlum ferreum consecuti essent incolæ, tamen natura ipsos suo auxilio non destituit, sed in vicem irrigationis cœlestis, terrestrem substituit Nili fructiferi fluuij inundationem & diluuium. Grandinem, tonitrua, coruscationes, seculo Pharaonis obstinati Regis Ægyptiorum hanc deuastasse

regio-

regionem concedimus: quis verò id extraordinarium, iræ potentiæq; diuinę certum fuiſſe ſignum non agnoſcit?

Ob dictam itaq; cauſſam cœli ſerenitate perpetua inuitati & illecti incolæ, qui tunc temporis Chaldęi dicebantur, Aſtronomiam & Aſtrologiam profeſsi ſunt, cum quibus Abrahamus ſuam quam nouit ſciētiam aſtrorum communicaſſe refertur à Ioſepho lib. 1. de antiquitat. Superſtitioni verò ac culturæ imaginum, literarum, ſcripturarum characterum vanorum deditos admodum fuiſſe Ægyptios, vt ſuperiore capite refutatum, ita hoc preſens euincit dogma falſum. Ægyptiacis diebus multum non illi tantùm, ſed & alij quoq;, qui in eorum diabolicam ſuperſtitionem, tanquam iure hæreditario ex edicto Prætoris Romani vocati ſucceſſerunt, adſcribunt. Antiſcijs verò nō modicam tribuerunt vim, vt & cęteri, qui abſolutam iudicandi ſcientiam conſecuti ſunt. Ah miſeram illam ſcientiam, quæ ſuperſtitioni idololatriæ, abominationiq; abominandę affinis adeò eſt, vt ne hanc ab illa, aut illam ab hac integro ſaluo exiſtente, ſeparare vnquam queas: amplectenda certè ſuauitas eſt illa, quam ſi conſecteris, animam erroribus & horrendis ſuperſtitionibus obruas, oppleas & ſepelias: quę te ô homo furiæ exagitant, quod abſolutam eam iudi-

candi ſcientiam appelles, quæ nec veritatis vllam nacta eſt baſin, nec prędictioni ex neceſsitate naturali reſpondet, te verò in æternum condemnat? trucidator herculè & carnifex propriæ exiſtis animæ immaniſsimus, quam à Chriſto tam impensè dilectam pateris à veteri Adamo dirigente & impellēte appetitum ſenſitiuum corruptum, vinci & opprimi: ne te ô homo in diuerſam trahant partem euentus, ſi qui prædictioni reſpondeant; Diaboli enim hæc larua, hæc fraus eſt, vt ſuperſtitionibus veritatem affingat, tibi verò cultori laqueo ſuperſtitionis capto gulam frangat. Sed & Tapezuntius tribuit antiſciis maximam vim, ſecundariā tamen poſt Planetas, inquis, exaudio. Verùm eius idololatria quam tactu & palpitatione in hoc & aliis dogmatibus deprehendere licebit, te nulla ratione excuſabit, quo minus Euangelij & ſacrarum legum contemptus recipias digniſsimas pœnas: ſimiliter nec ipſe habebitur meliore loco, quod tu eius effectus diſcipulus, eiuſdem ſuperſtitionis fermento tuum quo veſceris & innutriris panem fermentaueris. Aſt venenum hoc eſt magnarum auctoritatum, quo plerique hæreticorum vetus ſuum fermentum texerunt & palliarunt, quæ res & multum ſeditionis in Eccleſia, irreparabileque verò damnum in ciuili ſocietate effecit.

cit. Verùm vt ſciamus, quid Antiſcia ſint, exponam paucis, quid de his circumferatur. Antiſcia ſunt obumbrationes malæ; operantur enim Planetæ mali, quod de Saturno & Marte ſecundum ſuperiùs tradita accipiẽdum erit, ſi progreſsiones locorum Hylegialium ad Coniunctionem, Quadratum, aut Oppoſitionem veniunt, ac ſi ibidẽ corporaliter eſſent locati, & nonnunquam interimunt, corpuſq́; grauiter affligunt.

Antiſcia puncta ſunt quælibet, quæ vel æqualiter diſtant à tropicis, vel quæ æquales habent aſcenſiones declinationeſq́ue, proinde dies faciunt inuicem æquales: puncta certè imaginaria tibi depingunt, in mẽte hominis non extra conſtituta. Ea verò ſunt in Zodiaco, ad quem rariſsimè erraticæ ſtellæ, excepto Sole, qui perpetuò eclipticæ imminet, accedunt: non itaq; Planetæ ſunt, qui hæc puncta imprimunt. Aſt hæc puncta vbi Sol ad ipſa acceſſerit, faciunt dies æquales; æquales præterea habent aſcenſiones? rectè, ſed quid hoc ad natum? cur ei, ſi Planeta ſignificator mortis, vt ipſorum proponam potiùs, quàm ponam ſuperſtitionem ad antiſcium acceſſerit malam crucem minaretur? ſunt & inſuper eiuſdem complexionis, naturæ, eorundemq́ue effectuum? falſiſsimum certè hoc, cùm in diuerſis locis & diuerſas vires Planetas conſequi

certum sit, sed quæ portio Zodiaci naturâ correspōdet alteri? nulla certè, tria quidem signa ventosa, tria terrea, tria aquosa, totidem ignea recenseo, ast quis non, si effectus horum attendat, insignem discrepantiam naturarum obseruat? non ea influentia Geminorum quæ Aquarij, non huius, quæ Libræ est, & stellarum natura quibus constant hæc signa euincunt. Aquarius Saturninis & Iouialibus, Gemini Saturninis, Martialibus & Mercurialibus, Libra deniq; Iouialibus, Mercurialibus, & Saturninis conflata est: quis quæso non has longè diuersas naturarum planetariarum commixtiones diuersos edere effectus, & longè diuersam ab alijs nancisci naturam videt? distinctam certè & ex effectu licebit colligere, si quis hoc præcisè obseruet: Ast qui fit, vt quam vim in vno Antisciorum non habeat Planeta, consequatur in altero, cùm tamen hæc puncta sint eiusdem complexionis? bella certè contradictio. Tandem progressiones siue directiones Aphetarum ad maleficorum Antiscia, si fuerint deuolutę, fore vt natus eo anno graui ægrotatione cōflictetur, mortisq; discrimen experiatur, præsertim si luminare conditionarium, & anni rex fuerint commaculati in vtroq; themate, inquiunt; verùm quæ necessitas aut dependentia in hac assertione? vt enim Planeta in ip-

sorum

ſorum mente ſolùm Antiſcia depingit & deſcribit, ita & directiones, progreſsiones, tranſitus, reuolutiones, & ſi quid aliud excogitauit humana peruerſitas, in eorum animo effinxit & calculauit. Quod cùm & ipſi deprehendant, his punctis non principalem, ſed ſecundariam poſt Planetas aſpectuſq; attribuerunt vim; rectè quidem, ſed rectiùs, ſi nullam: eorum tamen more, ne hoc caſu, vt ἀσύμβολοι abirent, fas iudicabãt. Cùm itaq; ſuprà de morbis, eorum incrementis & decrementis, de diebus Aegyptiacis, Criticiſq; egerimus, videbatur ordinem requirere, vt & de Antiſcijs, quæ eandem, aut certè conſimilem dicuntur habere vim, aliquid exponeremus, in eorumq; vim profundiùs inquireremus: quę ratio quoq; efficit, vt huic capiti cum ſuperiore bellè conueniat. Et hæc de Antiſcijs.

CAPVT XX.

De Directionibus, Profectionibus, Reuolutionibus, & Tranſitu.

PRæcedente capite fecimus mentionem Directionum & Profectionum: quæ cũ videbantur ad eandẽ ſpectare materiam, ideo hoc caput eidem materię conſecrare placuit. Directionem definiunt Loci vel Planetæ thematis natalitij ad obuiantes in curſu Planetas vel radios per æqui-

noctialis circuli in data sphæræ habitudine artificiosam deductionem. Duobus constat illa terminis: termino à quo, vocaturq́; significator; & termino ad quem, appellaturque promissor. Etsi verò vbi diligens thematis examen instituitur, omnes Planetæ dirigantur, verùm euitādæ subtilitatis gratia, sex tantummodo dirigunt Astrologi. Primò quidem ἀφετὴν, ab Arabibus Hilech, Latinis Prorogator vitæ dictum: secundò Lunam pro animi affectionibus: tertiò Solem, siue ἀφετὴς sit, siue non, pro statu vitæ & dignitatibus: quartò horoscopum pro valetudine & peregrinatione: quintò mediū cœli, pro amicis, nuptijs, procreatione liberorum, & honoribus: & sextò partem fortunæ, pro incremento aut decremento facultatum. Hanc directionem statuunt duplicem: aliam Directam, Conuersam aliam. Directa est, qua significator secundum signorum seriem per partes æquinoctialis circuli deducitur, donec æquatorem in figura positum cum ipso Promissore obtineat. Conuersa est, quæ fit inuerso ordine in Promissoris locum per partes æquinoctialis Circuli. Qua ratione verò vtraq; Directio peragatur, id eleganter & solidè multi, qui de hac vt indubitata via venandi casum mortis scripserunt, tradiderunt: nostrum verò est sedulò inquirere, an quid ista

Dire-

Directio conducat ad habendum id, quod tanta auiditate venantur Genethliaci. Verùm natalitias ſyderum obſeruationes non modò impias, ſed etiam firma deſtitutas eſſe baſi, iam ſuprà monuimus: quæ res non ex alio magis liquere poteſt, quàm prædictionibus, quas inuitis præceptis extorquent & exprimunt natiuitatum depictores. Quod enim Prorogatorem vitæ attinet, eúmne noſtra ſacra Scriptura, diuiniſsima illa & ſacroſancta oracula ex aſtris & ſyderibus dependere aſſerunt? non equidem puto: ſiquidem Iehoua ſit, qui prorogare, & in Neſtoreos vſque annos extendere vitam poſſit, non aſtra certè, non ſydera: quibus licèt exercitus ſit Dei, tanta poteſtas data non eſt, vt interimant, & noceant homini, niſi Deus Omnipotens ſeriò id iniungat, nec etiam eo caſu immediatè, ſed per quandam conſequentiam, quatenus hanc vel illam in aëre cauſſant qualitatem vel generationi tempeſtatum, grandinum, fulminum, vel morborum, peſtis, diſſenteriæ aptam & idoneam. Sic Deus honoranti parentes prorogat dies, Exod. c. 20. ſic annos vitę humanæ circulo centum & viginti annorum includit: ſic Ezechiæ prorogat vitam in quindecim vſque annos, ſucceſſoremq́; pollicetur. Ille dignitates largitur & honores, tranquillum animum reddit humanum,

ſanitatem corporis præbet, ſecundat iter, amicos conciliat, nuptiis benedicit, promittit ſemen, auget facultates, non quidem medio aſtrorum, aliàs inter bonos & malos nullum eſſet diſcrimen, ſed facultate benedictionis & conſecrationis: quod cùm ſuprà fuſiùs demonſtratum ſit, non eſt vt hic actum agamus. Quàm futilis ergo illorum ſit labor, ex eo apparet, quod impoſſibile ſit id habere ex aſtris, quod ipſi medio Directionis conantur ſciſcitari. Aſtrorum officium genuinum enim eſt efficere ſigna, dies, annos, & tempora: Si quid præterea operẽtur, id non intentionaliter, ſed per quãdam conſequentiam efficiunt. Iam verò expertum habemus, quod citra voluntatem cœleſtis Patris ne pilus quidem de capite noſtro decidat. Fatalem ergo illi mihi videntur introducere neceſsitatem, qui aſtris humanã alligant vitam, tanquam Deus in tantum abiecerit hominem, vt aſtris in annos vitæ humanę poteſtatem adſcripſerit. Omnibus tamen in ore ſcio, & Deum mediatè agere, & vitam, eiuſq; annos dirigere, nunc extendere, nunc abbreuiare, inuitis etiam aſtris, vti quibus tanquam creaturis meritò imperet. Verùm cùm Directio duplex ſit: alia ſecundum corpus, ſecundum animam alia; dubium nullum eſt, quin non corpus quo ad humores diſponant aſtra & ſydera, ani-

mam

mam verò ipſe Iehoua, vti à ſe profectam, dirigat, eiuſq; à corpore auocationem ſibi ipſi reſeruarit: ergo nihil ab aſtris, horumq; commixtione, vnione principaliter, ſed eatenus, quatenus συμπάθειαν habet cum ipſo corpore, patitur. Verùm inquies, Animam eſſe actum corporis organici vitam habentis potentia, proinde non niſi in corpore tã-quam domicilio habili habitare, quo deſtructo aut corrupto & ea vt emigret, neceſſe eſſe: ad quod tamen reſpondemus, corruptionem corporis humani principaliter non cauſſari ab aſtris, vt quorum effectus ſit humores illius alterare. Alteratio autem quàm longis paſsibus diſtet à corruptione, ſatis manifeſtè aperiunt Phyſicæ harũ mutationum definitiones: non itaq; ſequitur, ab eo, à quo dependet humorum alteratio, dependere & animæ à corpore ſeparationem. Veriſsimum verò eſt, exitium minari minùs tempeſtiuam humorum violentam alterationem: ſolam tamen deſtructionem humani corporis non importare.

Eiuſdem farinæ & ponderis ſunt Profectiones, Reuolutiones & Tranſitus: quæ omnia & fruſtra ſuſcipiuntur, & ſuſcepta pietatem grauiſsimè lædunt.

CAPVT XXI.

De Saturno.

HActenus de morbis, morborumque causſis verba fecimus: tandem ordo requirit, vt conuertamus nos ad viciſsitudinem aëris, quæ ex diuerſitate influentiarum tam ſtellarum fixarum, quàm erraticarum dependet. Vt verò hanc præcisè excutiamus, neceſſariò aliquid de natura Planetarum præmittemus, poſtea ad alia, quæ non minimum huic noſtro propoſito inſeruiunt, greſſus noſtros dirigemus.

Aſtronomi ſtellas duplicis generis eſſe perhibent, fixas nimirum & erraticas.

Fixæ inſunt octauæ ſphæræ, ſiue firmamento; erraticarum quælibet ſub concauo eiuſdem ſedem & motum conſecuta eſt. Erraticæ ideo dictæ, quod inter ſeſe, vt ſtellæ fixæ, neutiquam retineant eandem diſtantiam: dicunturq; Planetæ, Græcis πλανῆται, ἀπὸ τοῦ πλάνεσθαι, quod ſignificat errare. Nigidius eoſdem errones vocat. Horum ſeptem ſunt: Saturnus nempe, Iupiter, Mars, Apollo ſiue Sol, Venus, Mercurius, Luna. Hi omnes & lumine, & loco, & motu, & colore à ſe inuicem longiſsimè diſtant. Proinde nō mirum ſi & effectibus, viq; operandi differant enormiter. De ſingularum itaq; natura & qualitate mox videbimus.

Satur-

Saturnus Planeta omnium ſupremus eſt: hic nomen aſſumpſit à Saturno Rege, qui, vt Firmianus ſcribit in libro diuinarum inſtitutionum, cœli & terræ filius fuit.

Etenim cùm Saturnus arma Iouis effugeret, & exul imperio adempto in Italiam veniſſet, cœli filius dictus eſt, quod eos, quorum virtutes admiramur, aut qui repentinè ad nos venerint, è cœlo proceſsiſſe exiſtimemus. Aſt terræ filius ideo dictus, quod ignotis parentibus natus fuerit. Aliis magis arriſit affirmare, ὀυρανὸν parentem Saturni fuiſſe, quem deinde idem Saturnus Cœlum vocauerit, vt & matrem Terram, quo tam ſpecioſa appellatione ſplendori & dignitati ſuæ aliquid adderet.

Ciceroni verò ideò Saturnus appellatur, quod ſaturetur annis: quæ alluſio Poëtis occaſionem dedit fingendi, eundem liberos deuoraſſe, & per euomitionem eieciſſe: idque ideo, quod ætas omnia attereret, & quæ per vices naſcerentur, rurſus interirẽt, cuius ipſe quaſi effigiem repręſentaret. Vnde Ouidius lib. 15. Metamorph. cecinit:

Tempus edax rerum, tuq́ue inuidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis, vitiataq́ue dentibus æui,
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.

Is poſtquam in Italiam peruenit, Italis agrorum culturam communicauit: vnde & à noſtris Aſtrologis agriculturæ præficitur,

quamuis potiùs in hoc artificio ab Astrologis ad influentiam eius respiciatur. Aera verò is forma publica percussit, quæ nomẽ signantis præ se tulit, altera in parte nummi Iani caput bifrons, vti qui eum aduentantẽ in Italiam exceperat; altera verò nauim, qua fugiens peruenit in Latium, addens.

Hoc rege imperitante, Poëtæ, vt & historici, iustitiam in terris inprimis cultam, aureaq; secula fuisse tradunt. Tempora enim illa sæuitiam & seruitium non ferebant, nullum præterea furtum eius in finibus extitisse, vti omnibus sub lege communibus affirmant. vnde canitur:

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant, ipsaq; tellus
Omnia liberiùs nullo poscente ferebat.

Tandem verò, postquam vitam humanã optimis legibus informasset, repentè disparuit: quem proinde Ianus coli tanquam melioris vitæ auctorem iussit.

Supremam ergo sphæram nactus est, quę intra triginta annorum spacium ad idem punctum Zodiaci, ob immensam amplitudinem eius cõtra signorum seriem directa, vnde digressa esset, redit: nam

Annis triginta Saturnus conficit orbem.

Complexionem dirigit frigidam & siccam, Melancholicam, ideo rigentis & gelidæ naturę dicitur. Albumasar in suo maiori

intro-

introductorio ſcribit, Saturnum complexione frigidum eſſe & ſiccum, melancholicum, inuidum, ſeductorem, præcellentem ingenio, conuerſationis paucę, in periculis audacem. Ex metallis habet plumbum: ex humoribus dirigit melancholiam, in ætate ſenectutem, de temporibus autumnum regit, ex elementis verò terræ reſpondet. Colorem nactus eſt plumbeum, quem plerunque ſenectus triſtis imprimit. Duo domicilia ſortitus, Capricornum & Aquarium.

Superſtitioſi verò ſunt hic nonnulli, & quidem primò Hali, qui arbitratur, Saturnum in prima facie Leonis potentem oſtẽdere fortitudinem ac tollerantiam: in prima facie Libræ dominum regni eſſe, altitudinis, coronæ, nobilitatis & dominij.

Deinde Pomponius Lætus, qui viros ſpeculationi & contemplationi indulgentes ſub eius ſphęra collocat: qualis eſt Ioannes Baptiſta, Paulus Eremita, Hilarion, Antonius, & cæteri religioſi ac monachi. Verùm hæc ſunt ſomnia & deliria veterum, quorum futilitatem cùm in ſuperioribus capitibus demonſtrauerimus, non eſt vt hic actum agamus.

Saturnus itaque cùm ſit frigidus & ſiccus, naturæ humanæ, quæ in calido & humido radicali conſiſtit, inimicus eſt: efficit enim vt calidum illud à prædominante fri-

gore vincatur: quo ipſo fit, vt & humidum viſcoſum ſuo calore natiuo deſtitutum, cō-creſcat, corpus verò elementatum omni naturali vigore exutum contabeſcat & concidat.

Quocirca & Aſtrologi maius infortunium eundem cum Marte conſtituunt. Hæc eius natura cùm ex complexionibus quatuor Melancholicę quadret, non abſurdum eſt dicere eundem & ei præeſſe, & hanc alterare, tranſmutare, & concutere.

Hæc itaque complexio concitata & impulſa, niſi diuiniore obſtante cauſſa præpediatur, animum hominis opprimit, & ad inuidiam, & ipſi exercenti pernicioſam impellit, quocirca inuidos, liuidos, & præterea ambitioſos deprehendimus. Vnde Ranzouius:

Mortales odio infeſtans & peſte maligna,
Falcifer immiti deuorat ore ſenex.
Ora modis miris ſemper cùm liuida pallent,
Inuida huic cordi eſt, ambitioq́ latens.

Plerunque verò cordati & quaſi immobiles Saturnini homines animaduertuntur, idq́; ideo, quod hæc complexio grauis & tarda ſit, nec facilè ad iram accendatur. Ira enim impedit animum, quo minùs poſſit cernere verum. Immobiles ſunt, quia grauitas huius humoris mobilitatem excludit, difficilimeq́; commouetur, quæ res non

non modicum pondus constantiæ addit. Optimi verò ingenij, quia siccitas & frigiditas eximiam cerebri temperiem efficiũt: vnde & religiosi, quia profundæ sunt cogitationis. Nam

Ingenio tamen ipse bonus, nec inutile pectus
Consiliis, constansq́ animi, prudensq́ futuri.
Semper at æterno contristat frigore terras.

Agriculturæ studiosos reddit, quia simile amatur à simili, teste Aristotele, li. 8. Ethicor. sic quædam inter complexiones & elementa συμπάθεια & compaßio deprehenditur. Vnde

Adiuuat hæredem, vomere scindit humum.

Quod in homine, idem in aëre operatur Saturnus. Etenim cùm longè sit frigidior, quàm siccus, nubes & frigiditatem producit, præcipuè in signis terreis, naturæ eius & influentiæ correspondentibus. In meridie constitutus, si se alius eidem forti & dignitatibus instructo applicauerit Planeta, tempore caloris minuit calorem, frigoris verò magnum addit rigorem.

Hali fingit, Saturnum de signo insignum transeuntem, per plures dies ignita in cœlo efficere signa. Sed vana res & futilis, vt ferè omnia Arabum.

Dominium vbi nactus Eclipsis, significat ex frigore corruptionem, morbos diuturnos, catharros, tabes, febres quartanas, ter-

tores, luctus, angustias, mortes senum, frigus in aëre horridum, nebulosum, pestilẽs, tempestates aduersas, densas nubes, caligines, niuis maximam vim, naufragia, piscium penuriam & interitum, fluminum exundationes, nymborum impetus, & grandines.

Idem ferè operatur, quamuis non tanta cum efficacia, quando Lunationi alicui praefigitur: cum Ioue fœlici aliquo aspectu copulatus, promittit serenitatem, quia ventus eius serenus est.

Huic Planetæ & certas regiones, plerasque verò perpetuo frigore rigentes attribuunt. Omnes ita q; qui sub Helice, poloq; Arctico proximiores sunt, Russos, Bauaros, Getas, Oxoniam deinde, Augustam, & Macedonum rura dirigit & dispensat. Quod quidem constanter à quibusdam affirmatur, veritati verò minimè respondere, iam suprà in capite de bello demonstrauimus. Et hæc de Saturno.

CAPVT XXII.

De Ioue.

NAtura prudens inter Martem & Saturnum, qualitatibus contrariis perpetuò pugnantes, interposuit, tanquam arbitrum Iouis stellam, proximam Saturno sphæram occupantem.

Iupiter ex Arcadia oriundus, vir nobilis

erat,

erat, primò Lysanias dictus, qui summa ingenij dexteritate præditus, cùm Athenienses, à quibus hospitio exceptus fuit, bestiarum more vitam transigere comperisset, ipsorum viuendi rationem legibus promulgatis reformauit: & quia communionem fœminarum, vxorumq; eos adamare deprehendisset, quæ res nec Platoni, ab Aristotele lib. 1. Politicorum refutato, displicuit, matrimoniorum iura & solennitates adinuenit; agnita deinde ciuium Atheniensium fluctuatione & mutabilitate, Religionis & Deorum veneratione instituta, iura sua legesque vitæ præscriptas firmauit & stabiliuit. Hi verò eius beneficia non modò amplectentes, sed & agnoscentes Iouem eum appellarunt, quod nomen iuuantem Patrem sonat, vt hoc facto, si alio non possent suam gratitudinem declararent.

Planeta ergo Iupiter duodecim annorum spacio cursum suum absoluit, & ad idem punctum transacto illo tempore redit, minorem enim sphæram quàm Saturnus nactus est, secundum illud:

Signiferum absoluit duodenis Iuppiter annis.

Naturam humidam & calidam obtinet, proinde sanguineæ complexioni fauet, aëriq; respondet ex elementis. Colore & lumine reliquos omnes Planetas superat, vincitur tamen à Venere, qui duo Planetæ om-

nium ſunt venuſtiſsimi. Aſt ſanguineam complexionem nactam eleganter dirigit & diſponit, quæ plerunq; animum hominis ad eundem modum afficit, pellicitq́;. Sanguinei verò pleriq; pulcri, venuſti, colorati, & corpulenti ſunt, idq́ue ob eximiam illam corporis temperiem, cum ſubſtantialibus vitæ eleganter correſpondentem. Iuſtitiæ & honeſtatis reddit cultores, quia huic humori ſanguineo cum anima optimè conuenit: nulla inter hos pugna, quæ in deteriùs animum abſtrahat: egregiè ergo is ſuis fungitur muneribus, mediante tamen diuino & ſacroſancto auxilio, quo anima & rectæ rationis dictamen proſperè dirigitur: erigit is hominem ſibi mãcipatum ad alacritatem & honores conſequendos.

Iouem pietatem & religionem tribuere veroſimile non eſt, ſi ſimpliciter hoc accipiatur; de eo tamen liquet, quod animum rerum honeſtarum vacationi aptum reddat. Vnde Ranzouius:

Vtilis affulget iucundo ſydere terris
Iuppiter, vnde iuuans dicitur eſſe pater.
Iura, magiſtratus, fora, templa, tuetur & vrbes,
Iuſtitia clarus, conſiliisq́; viget.
Efficit hic magnis gratos & amator honeſti.
Ex vno natos tollit ad illa gradu.

Duo occupat domicilia in Zodiaco, Piſces & Sagittarium; in aëre ſerenitatem excitat,

ficat, quia ventus eius serenus est. Dominatur Euphrati, Assyriis, Cilicum campestribus oris, Pannoniæ, Calabriæ, extremisq; æquore Iberis.

Iupiter dominus existens Eclipsis generaliter incrementa rebus confert, hominibus largitur gloriam, amicitiam, tranquillitatem, pacem, auget rem familiarem, corpus, & per hoc animum ærumnis oppressum erigit, discutit nebulas mentis, serenumq; reddit animum hominis: tempestates verò efficit salubres, fortunam classibus fluminum aquas moderatas conseruat, frugum copiam & similia secundariò promittit: cuius rei ratio ex ipsius natura petenda est. Et hæc de Ioue.

CAPVT XXIII.

De Marte.

HInc Mars immitis & ferox sequitur, qui filius Iouis vir crudelis, robustus, ferox & audax fuit.

Planeta est masculus, calidæ & siccæ influentiæ: ex complexionibus colericæ præest, eamq; dirigit. Colorem igneum consecutus est, proinde flammæ assimilatur, quæ omnia ferociam ipsius satis arguunt.

Circulum suum absoluit annis duobus: Hinc

Mense quater seno trux circuit astra Gradiuus.

Cholericis dominatur, reddit eos fortes, audaces & magnanimos, mobilesque ad iram, quia Ira Cos est fortitudinis: hinc iracunda fortitudo: crudelitatem præterea infundit, quia violentia vehementiaq; huius humoris plerumq; opprimit dictamen rectæ rationis, & armat ad sæuitiam, omnem mansuetudinem & humanitatẽ excludens. Hinc Ranzouius:

Igneus ecce micat rubicundo lumine Mauors,
Pectus & accensum feruida bilis agit.
Hinc iræ, rabies, furor, arma ferocia, cædes,
Proditio, bellum, seditioq; iuuant.
Sæpius apportet claram victoria famam,
Lites ex spoliis dißidiisq; facit.

Vnde Vergilius:

Hic animum Mars armipotens viresq; Latinis
Addidit, & stimulos acres sub pectore vertit.

Etenim vt Albumasar & Messala memoriæ tradiderunt, homines ad arma compellit & prouocat. Verùm cùm superiùs in capite de bello & tumultu fusiùs de eius tractauerimus virtute bellica, nos in præsentiarum de effectibus modò, quos in Eclipsium directione tempestatisque agitatione habet, dicemus.

Duo autem hic Planeta obtinet domicilia, Scorpionem & Arietem. Hic, vt qui in supremo gradu siccitatem & caliditatem nactus, calorem immensum ac siccitatem in

his ſublunaribus regionibus excitat. Interim tamen dominus arbitratur imbrium, tempeſtatum, cum tonitru, grandine & coruſcatione, præcipuè autem in ſignis pluuioſis & ſtellas tempeſtuoſas conſtitutus has vires exerit.

Ex Stadio refert vir doctiſsimus Origanus, quòd Veneris & Martis aut ſolius Martis per Pleiades (noſtris Sibengeſtirn / quia ſeptem ſtellis conſtat) tranſitus, aliquot diebus pluuioſam effecerit tempeſtatem.

Eclipſis adeptus dominium, feruore omnia corrumpit, hominibus bella & inteſtinas ſeditiones, tumultus, inopinatas mortes, iram Principum confert. Dominabuntur præterea eo tempore æſtuantes febres tertianæ, ſanguinis eruptiones, morbi acuti, violentæ mortes graſſabuntur, rapinæ, latrocinia, iniuriæ, contumeliæ. Ventos calidos & peſtilentes excitat: item ſubitæ euerſiones frequentes erunt per ventos & fulmina. Flumina exſiccabuntur, animalia & è terra naſcentia æſtu pernicioſo peribunt.

Præeſt Syriæ, Thraciæ, Scythiæ, Sueuiæ, Sileſiæ, Galliæ, Poloniæ, &c.

Sed qua ratione inopinatas & violentas mortes conciter, dubitabis. Aſt quid non ira percitus, & ab iſto furore victus & oppreſſus homo molitur? quid non perpetrat?

non in alium, sed in seipsum etiam, nisi diuino auxilio erigatur. Et hæc de Martis natura.

Capvt XXIIII.

De natura Solis.

Hinc sequitur Sol, qui est Planeta masculus & diurnus: Dominus Planetarum cæterorum est, perfectio stellarum, & rex totius naturæ, quod dominium non modò situ, sed & præstantia luminis effectuumq; obtinet. Vnde Plato in Timæo scribit: Deum Solem creasse, vt splendore suo cœlum illustraret, & omnia inferiora. Anaxagoras se propter Solem natum esse professus est.

Hic annum in quatuor partes dispertit: Ver floribus, æstatem maturis fructibus, autumnum vuarum collectione, hyemem tristißimo & immiti frigore depingit & figurat: menses ex parte describit, nihilq; est rerum naturalium, quod eius vim non affatim persentiscat.

Solem Hyperionis filium authores credunt. Hyperionem verò idem significare, quod super omnia: cuius currum quatuor equis trahi finxerunt Poëtæ, ob quatuor anni tempora, quæ motu suo per Zodiacũ efficit. Proinde Ouidius Solem his versibus describit:

In solio

In solio Phœbus claris lucente smaragdis,
A dextra læuaq; dies, & mensis, & annus,
Seculaq;, & positis spaciis æqualibus horæ.
Ver nouum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda æstas, & spicea serta gerebat,
Stabat & autumnus calcatis sordidus vuis,
Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.

Sol autem Latinis dictus videtur, quasi solus luceat: reuera enim eidem tanta inest claritas, vt omnes cæteras stellas, tam fixas quàm erraticas superet & vincat. Hinc Ranzouius.

Sol oculus mundi, vitæ, Sol lucis & auctor,
Lucens solus llumo, nomina Solis habet.

Hunc calidum & siccum arbitrantur, colore aureum. Ego magis sanguineę complexioni accedere existimo; præterquam enim quod vitam conseruat, hanc mortuis plantis inspirat, vimq; gignendi cunctis animantibus nouam infundit: inde Sol & homo generare hominem Aristoteles affirmat: eandem etiam cum Marte naturam nõ participat, inq; maleuolorum Planetarum classe minimè reperitur: quod tamen eueniret, si eandem cum Marte calidam & siccam obtineret influentiam.

Ergo cùm eandem cum Ioue complexionem dirigat, iustitiæ & magnanimitatis cultores efficit, & ob præstantiam harum dotium sensim ad superbiam & fastum eri-

git. Quæ omnia secundum ea, quæ superioribus capitibus diximus, intelligi volo: Etenim nullus Planetarum est tam efficax, vt habitum virtutis perfectæ, præsertim Dianoeticæ imprimat, quamuis naturalem quandam dispositionem nō deneget. Hinc Ranzouius ludit:

Magnanimos, iustos creat hic & sæpe superbos,
In solio reges collocat atq; duces.

Longæuos reddit ob egregiam humorū harmoniam, qua corpus, si destituatur, ob vincentem alteram qualitatem diuturnum neutiquam est. Reges designat, quia ipse Rex est Planetarum: quamuis vt iam suprà diximus, subministrare cæteris Planetis materiam videatur, quam forment, alterent & transmutent.

Vnico hic domicilio contentus, Leone excipitur: Dominatur Alpibus, Italiæ, Siciliæ, Apuliæ, Bohemiæ. Cursum intra anni spacium complet, secundum illud:

Curriculum Titan bis senis mensibus implet.

Robur maximum Solis facit grandines, minimum verò pruinas & niues, mediocres nonnunquam pluuias creat. Et hæc de Sole.

CAPVT XXV.

De Venere.

SPhæram Solis ſequitur ea, quæ circumuehit Venerem. Venus ſecundum Ciceronem in libro de natura deorum, cœli & diei filia fuit. Icc irco verò filiam cœli dicebant, quod cœlo videbatur infixa, cum eodemq; moueri. Diei verò à claritate ſua, qua cæteris aſtris fulgidior eſt. Aliis magis placuit affirmare, eam cœli filiam eſſe, ſine matre tamen; idq; ideo, quod ipſa res cœleſtes & diuinas tantùm curet venereturque: vtvt ſit, nos experimur hanc ſtellam eſſe humidam & mediocriter calidam. Proinde cùm hæc eius complexio fœminarum reſpondeat, fœmininum meritò accepit nomen. Verùm tanta eſt eius luminis præſtantia & pulchritudo, vt omnes Planetas longiſsimis paſsibus vincat, hominiſq; mentem, & oculos aſpicientium mirum in modum in ſui amorem concitet, ſolaq; inter quinque reliquos Planetas ſuis radiis vmbram faciat. Ob hanc ipſam pulchritudinem & venuſtatem, eam Deam amoris ſtatuunt: proinde & coniugiis, & procreatione ſobolis, Muſica & cantu delectari tradunt, ſecundum illud:

En Soli vicina Venus nitet aurea vultu,
Blanda, decens forma, iura potentis habet.

Lætitiam, choreas, lusus amat, otia quærit,
Editus hac amor est, hac genitrice iocus.
Vere nouo gaudet, terram fœcundat, & æquor,
Commoda dat thalami fœdera, dote beat.

Proinde ratione naturæ & influentiæ præfecerunt humori phlegmatico. Ea enim complexio mulierum propria, vnde & salacissimas etiam cum passeribus salacia concertantes experimur: optimé ergo dicitur, Fœminam mare esse, quod das deuorare, nunquam abundare. Et nisi ipsa natura has naturali quodam pudore, qui complexionis salacis violentiam aliquo modo cohiberet, præmuniisset, nullum fœdus coniugale, nulla data fides, nullus amor tam firmus, tam constans, tam sanctus esset, qui non ab his violaretur. Inconstantes sunt, quia complexionem mobilem nactæ sunt. Vnde & è spuma maris Venerem natam esse quidam tradunt, non obscurè ad mutabilitatem mulierum alludentes. Vt enim mare, ita ipsa Venus fluctuatione perpetua fertur. Vbi verò mulieres Venereæ pudorem illum, custodem pudicitiæ, egressæ, nil impudentiùs in mundo vides: quæ quantam ignominiæ castis mulieribus inurant notam, vix dici potest. Proinde meritò cum Tiraquello in ll. connub. accuso Iustinianũ, eò quod mitiorem pœnam in crimine adulterij præfixerit fœminis, cùm in hoc sexu

eo seuerior esse debuerit, quo hoc delictum in illo est turpius. l.1.§.consequens. ff.de suspect.tut. l.2. C. de his qui ven. ætat. c.1. in princ.de stat.reg.in lib.6.vide Tiraquell.de ll.connub. l.9. n.132. 133. cum sequentib. & frequentius, l.aut facta 16.§.fin.ff.de pœnis. Dd.in l.auxilium.ff.de minorib.magis perniciosum, tum publicè tum priuatim, idque propter incertitudinem liberorum, & confusionem familiarum. Quæ analogia cùm in homicidio obseruetur (nec enim mitiore pœna mulier quàm masculus plectitur) in libidinibus certè idem tenendum esset, eoq; magis, quò impensiùs hunc sexum pudor decet ac castitas, quoq; seueriore disciplina ob procliuitatem (vide Tiraquellum eod.loco) in id genus obscœnæ voluptatis opus habet: id quod VVesembecius omnium ferè gentium consensu receptum putatumque semper esse, affirmat.

Hoc genus ideo hominum, cùm multum succi illius excrementitij ob abundantiam humorum habeat, naturâ excretionem vrgente, pronum in hoc genus libidinis est.

Planeta cæterum fœcundus est, quia humectat & parum calefacit, prolem significat & semen, quia eiusdem naturæ & qualitatis existit. Circulum suum conficit trecentis & duo de quinquagenis diebus: secundum illud,

Curriculum Titan bis senis mensibus implet:
Conficit atq; Venus totidem, totidem quoq; Stilbon.

Vbi pręcedit Solem, dicitur Lucifer: cùm enim tantum duorum signorum interuallo id est, sexaginta graduum distare possit, annunciat præcedens lucem futuram: si verò sequatur, Hesperus dicitur, seu Vesper. Vnde Virgilius in vltimo Bucolicorum ait:

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Ptolomæo teste, in libro de harmonia, stella est salutaris. In Tauro, vti sua domo constituta (nacta enim duo domicilia, Taurum, & Libram) teste Hali fortissima est.

Temperiem aëris quod concernit, cùm humida & frigida fit temperatè, vel etiam calida nonnihil, prædominante tamen humore, mater pluuiarum, maximè in signis pluuiosis est.

Venus vbi domina Eclipsis est, eadem pollicetur quę Iupiter, sed cum maiore gratia & venustate, dabit fortunata connubia, liberorum copiam & incrementa, corporisque decorem, omnia tamen secundariò.

Regiones & terras quod attinet,

Arua tenet Thebana, Papho, vicinaq; Cypro
Littora, palmiferos Arabas, terrasq; ferentes
Delicias, variaq; nouos radicis odores.

Et hæc de Venere.

CAPVT XXVI.

De Mercurio.

MErcurius mox ſequitur, eiuſdem naturæ cum Saturno, frigidus nimirum & ſiccus, inde eidem copulatus hyemali tempore, miram addit frigori acrimoniam.

Albumaſar adeò flexibilis naturæ eum facit, vt è veſtigio conuertatur in naturam Planetæ, cui adhæret.

Eadem celeritate conficit orbem, qua Venus & Sol, idq; ob regreſſum & ſtationem, qua ipſius celeritas ſæpiſsimè interrumpitur. Duobus recipitur domiciliis, Geminis & Virgine.

Iouis fuit filius, tectus galero ideo, quod Mercurius ſub radiis ſolaribus latens rariſſimè ſui conſpectum hominibus præbeat. Hãc influentiam Mercurialibus imprimit, qui calliditate ſuum conſilium tegere non ignorant. In manibus virgam habere ſerpentibus circundatam fingitur à Poëtis, vti qui perſuaſum habeant eloquentiam, cuius ipſe magiſter, ſine prudentia parum prodeſſe. Verùm cùm ipſe partui adſit, animas ab Orco reuocare dicitur, ad tartara ideo mittit, ſecundum Poëtas, quia eiuſdem maleuolentiæ, cuius & ipſe Saturnus: vterque enim vitæ nactus inimicam influentiam.

Ventorum dicitur pater, quia eosdem abdita sua influentia suscitat. Furum doctor statuebatur, eò quod calliditatem furandi & decipiendi hominibus infunderet: vnde & apud Ægyptios furtum impunitum erat, quia ad exercendam prudentiam & calliditatem videbatur facere. Insigne verò contemplationis mathematicæ desiderium & auiditatem iniicit; cerebrum enim quàm optimè disponit, nec sua maleuolentia tantã infert, vt Saturnus, morum deprauationem Velox est, vnde & pedibus alatis pingitur; mobilis: quia licèt Saturninam naturam videatur sapere, tamen non idem cum eo, sed aliud adhuc à Deo obtinuit, quo ipso à Saturno differret: secundum illud,

Mercurius fertur breuibus leuis æthere gyris,
Inconstans, varius, nec statione manens.
Hic aciem ingenij, varias largitur & artes,
Dulcis & orator voce, Poëta lyra est.
Mercator bonus est, animi vim mobilis æqui
Applicat ille bonis, applicat ille malis.

Quidam verò sunt, qui huic peculiarem ob volubilitatem & mutabilitatem denegant naturam, vtpote cùm recipiat naturam aut signi, in quo est, aut Planetæ cui sociatur, vel corpore, vel aspectu.

Is in aëre excitat ventos, in aquaticis verò signis, maximè verò sub radiis Solis latens, pluuias repentinas cum magnis flatibus.

tibus. In aëreis autem ſignis facit tonitrua & fulgura.

Adeptus gubernationem Eclipſis, naturam eius ſtellæ, cui vel coniuncto, vel oppoſito radio iungitur, induit. Per ſe conſideratus, eſt acer vſurpator latrociniorum, furtorum, autor pyraticæ, morborum ſiccorum, febrium quotidianarum, tuſsis & tabis. In aëre facit ventos. Græciam, Rhodum, Ioniam & Arcadiam dirigit. Et hæc de Mercurio.

CAPVT XXVII.

De Luna.

LVna verò quàm proximè ad terram accedens, frigida & humida eſt, Diana dicta, eò quod ipſa ſpreto hominum conſortio perpetua virginitate inſignis extitit: ad eandem ergo cùm inclinet Luna natum, non immeritò Dianæ nomen obtinuit. Hic Planeta cùm noctu lucet, Luna vocatur: Diana autem, cùm lucem tendit in diem, Cynthia dicta à monre Cyntho, in quo inprimis venerabatur: Lucina verò ideo, quod partũ in lucem producat: Phœbe, eo quod ſæpe noua ſit: Proſerpina tandem à ſerpendo, cũ ſerpere videatur, dum in dextram modò, mox in ſiniſtram partem mouetur.

Planeta eſt beneuolus, omnia ſua humiditate & frigiditate conſeruans, quamuis

hyemali tempore ſtirpibus & plantis nocentiſsima fuiſſet, niſi prudens & ſagax natura ipſam longiſsimè lumine auctam à terra eo tempore amouiſſet. quam ob eandem cauſſam æſtate proximiorem eſſe voluit, quò omnia ęſtu torrida ſua frigiditate reſtitueret & reuocaret.

Curſum, vti proxima axi, abſoluit vicenis diebus ſepteniſque, & tertia diei parte. Aliis magis placuit curſum Lunæ menſe circunſcribere. Hinc Ranzouius:

Omnem menſe polum Phœbe nocturna pererrat.

Lumen proprium nullum, ſed mutuatitium debile habet, quod adimitur ecclipſatæ per interpoſitionem terræ, cuius vmbrã ob vicinitatem incurrit. Eadem aliquando aſpectum Solis ſeſe interponendo intercipit, efficitque nobis Solarem eclipſin.

Color ipſius argenteus eſt, vnde illa argento, vt & Sol auro, præeſt; quamuis per accidens varios repræſentet colores: non quidem in ſuperficie, ſed aëre ſubiecto apparentes. Hinc varios edit effectus, ſecundum illud:

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.

Maculatum præterea corpus habet, quia diaphanes, ſed inęquale, ex vna parte compactius, ex altero verò rarius; quæ res figmento locum dedit apud ſimpliciores, qui neſcio quam faciem & vultum homuncionis

nis in Lunam conuersi somniant. Nec sequor illos, qui has maculas Lunæ inustas terrestribus obscœnitatibus affirmant: magis enim id, si veritas subesset, Theologiæ sacrosanctæ, quàm Physicæ naturali scientiæ congrueret.

Phlegmaticę præest complexioni. In humores verò inprimis agit, quorum & domina perhibetur. Vnde Aristoteles memoriæ tradidit, natos infantes silente Luna ob defectum humorum durabiles non esse: quod si non in hominibus, tamen in bestiis manifestè deprehendere licet. Ratio obscura non est, cùm eo temporis momento Luna, vti quæ lumine & motu agit, omni prorsus ex ea parte, qua nos respicit, destituta lumine, humores nec euocet, nec augeat, nec concitet: quod nequaquam fieret, si proprium haberet lumen, quod licèt sub radiis solaribus latens, vt ipse Mercurius, ad nos cum suo effectu transmitteret. Hanc nonnulli mediocriter calidam faciunt: verùm nil impedit, quo minus vtriusq; opinionis auctores verum dicant, si modò hos relatiuè loqui fateamur. Hæc, vt ipse Mercurius, instabilis est, subinde enim lucem mutat, & complexioni mobili præest, secundum illud:

Quod maculas vultus alieno lumine fuco,
Muto cuncta, marem nunc peto, nunc fugio.

Quod vaga, quod nunquã constãs, vis discere causã,
Fœmina sum, vxoris forsan imago tuæ.

In aëre, accessu & recessu maris vires admirandas consecuta est. A Sole digrediens, magis exsiccat: Decrescens humida est: Plenilunia æstatis frigida, hyemalia verò temperata, nisi obstet Saturnus, deprehenduntur.

E contra nouilunia in æstate calida, in hyeme verò frigidissimas afferre noctes solent, cui tamen ipsa videtur reclamare experientia: Luna enim vbi augmentum luminis acceperit, frigus mirum in modum intendit.

Nouilunia præterea ad serenitatem procliuia sunt, plenilunia verò pluuias minantur, quia tunc fortissimè humiditates commouet: cuius rei etiam superiùs fecimus aliquam mentionem.

Regiones & gentes quod concernit,
Aethiopasq; Afrosq; regit, Tunetaq; regna,
Et Venetos, Genuam, & Pisas, Hollandicaq;
Quassata Oceano Zelandica littora ponto.

Et hoc de Lunæ, simulq; omnium Planetarum natura fit dictum: proximum est, vt propius accedamus ad effectus, quos Sol cum stellis fixis oriens aut occidens edit: quod commodiùs Calendarij Astronomici & Astrologici descriptione expediemus. Nam Ptolomæi, quod circumfertur Astrono-

no-

nomicum Diarium, concernit, id cùm partim deficiat, partim verò nostris regionibus minimè congruat, sed nonnũquam decem dierum, aliquando minore spacio à nostro Meridiano aberret, vsui nobis esse nequit. Miror itaq;, quo fundamento motus vir quidam priore seculo in Germania celebris, eundem nostro, & circumiacentium gentium Meridiano citra vllam correctionem adhibuerit.

Meridianus itaq; tuus, si ab hoc nostro differat, nil præter diem apparentiæ mutabis, virtutes verò & efficaciæ ortuum occasuumq; manent immutabiles.

CAPVT XXVIII.

Calendarium Astronomicum & Astrologicum.

CVm non minimam Astrologi vim occasui & ortui syderum attribuant, vt iam suprà capite quarto diximus, operæ precium iudicaui, in gratiam dilectæ meæ patriæ, syderum ortus & occasus cum Sole, Horizonti Basiliensi & regioni adiacenti congruentes, singulis mensium diebus ea diligentia, quanta fieri potuit, adscriptos subiicere, eorumq; naturales effectus, qui non tam ex Astrologorum antiquorum obseruationibus, quàm recentiorum vigiliis

& lucubrationibus solertibus eruti sunt, subnectere.

Quamuis itaq; me non lateat, quantum antiquitati, quæ in multis, præsertim verò his, erronea deprehenditur, tribuendum: tamen cùm recentiores obseruationes, detestāda multorum inuidia prohibente, haberi nequeant, his nos acquiescere oportet donec tandem ipsi naturam edocti, antiquorum errores, si qui sese obtulerint, declinare discamus.

IANVARIVS.

Primo die Ianuarij stellę reliquæ in Corona Boreali occidunt, cum Notio pisci, qui tunc temporis incipit occidere. Oritur balteus Orionis: incipit oriri Capricornus & Aquarius. Oritur Caudæ Scorpij stella tertia. Occidunt stellæ quædam in Geminis & Auriga. Oritur & pes sinister Orionis: qui ortus & occasus, si naturam stellarum inspicias, efficiunt humidum tempus & pestilētum, maximè tum, si Saturnus vel Mars attestati fuerint. Hoc tempore sese exhibet hyems, plerunq; cum mira inconstantia aëris, & niuibus, siue pluuiis.

Secundo die Ianuarij occidit caput Herculis: qui occasus nonnunquam, teste Marte aut Saturno, Ioueq; efficit tonitrua, & pestilentum aërem.

Ter-

Tertio die occidit Notius piscis vesperi, facit frigidum tempus & niuosum. Occidit & caput Ophiuchi, cum Geminis: qui occasus non rarò reserat Fauonium cum niuibus.

Quarto die occidunt quædam stellæ in Geminis, reserant Fauonium, aliosque ventos occidentales. Oritur & Capricornus cũ stellis quibusdam in Sagittario, qui plerunque tempus frigidum producit.

Quinto die Ianuarij Aures Leporis oriuntur vesperi, minantur tussim ex humida & frigida constitutione aëris promanantem.

Sexto die occidit Cancer, humidam & niuosam plerumque promittens tempestatem.

Octauo oritur Cancer, occidit caput Ophiuchi, frigus & niues exspectandæ.

Nono die, emergit medium Cancri, pluuias & niues operatur.

Decimo die, emergunt aselli vesperi, promittunt niues, oritur Brachium Aquarij cum Pegasi collo & capite Andromedæ: occidit Capricornus cum Notio, oritur crus Sagittarij manè, frigus niuesque promittunt omnes.

Duodecimo die, vt & decimo tertio oritur Pegasus, occidit Præsepe, oritur Canis minor, occidit cauda Capricorni: oritur

veſperi brachium auſtrale Cancri, occiditque Hercules: qui ortus & occaſus varium aêris ſtatum deſignant.

Decimo quinto die huius menſis occidunt veſperi capita Geminorum, oritur verò ala Pegaſi: quarum ſtellarum occaſus & ortus plerunq; Fauonium concitat.

Decimo ſeptimo occidit aſellus, efficitq; pluuias.

Viceſimo die occidit vltima fuſionis Aquarij cum cauda Capricorni, oritur & Leo: frigusq; pariunt plerunq;.

Viceſimo quarto die oritur Syrius, efficit tempus ventoſum & frigidum.

Viceſimo quinto die oritur Acarnar, de natura Veneris & Iouis.

Viceſimo ſeptimo oritur caput Meduſæ, ficitq; frigidos ventos.

Triceſimo die oritur Piſcium alter, cum cauda Capricorni, producit niues aut pluuias.

Triceſimo primo die oritur cauda Capricorni, & piſcis alter cum Cotona Auſtrali: occidit & humerus Centauri, ac humidum & frigidum tempus minatur.

Februarius.

Primo die Februarij oritur crus Capricorni, aërem producit frigidum & inconſtantem.

Secun-

Secundo die oriuntur Pisces, & plerunq; pluuias & niues efficiunt.

Tertio die occidit Cor Leonis, pluitque vel ningit.

Quarto, quinto, sexto, vsq; ad duodecimum, occidit Delphinus, hyemat aër, & pro præsentia Planetæ, vel ningit, vel pluit, nonnunquam serenissima quidem, sed frigidissima efficitur tempestas.

Nono occidit brachium boreale Cancri, ac pluuias, niuesque nonnunquam producit.

Vndecimo die occidit Ceruix Leonis cum fidicula: Aquilonem plerunque cum imbre experimur. Oritur & posterior in ala Pegasi.

Decimo octauo die occidit Lyra, efficit ventos occidentales, incipit occidere Pegasus, referatq; Fauonium.

Decimo nono occidit Acarnar, oritur verò Cauda Leonis, ac producit tempus humidum.

Vicesimo quarto die oritur Lanceatoris caput cum brachio, efficitque tempus frigidum.

Vicesimo quinto die occidit ceruix Leonis, & plerumque procreat tempus pestilentum.

Vicesimo octauo fidicula omnino occidit, humidumq; tempus producit.

Martius.

Primo die Martij oritur Piscis alter, occidunt verò quædam stellæ in Leone, ac tempus frigidum & inconstans pollicentur.

Septimo, octauo & nono die occidit vesperi ala Pegasi, efficitq; ventos occidentales & pluuias, aliquando tonitrua testimonio adiutus Saturni aut Martis, vel Oppositione Veneris & Martis. Pisces oriri desinunt circa id tempus. Aquarius omnino conspicitur, cuius crus oritur matutino.

Decimo die Martij incipit occidere Scorpius, ac humidum & frigidum reddit tempus.

Vndecimo die Martij oritur Crater, Austerq; flat.

Decimo tertio die oritur Arcturus, mites & frigidas pluuias tempestatesque per aliquot dies, præsertim si Luna aut Martis Coniunctione, Oppositione, Trigono, Quadratoq; aspectu adiuuetur efficit: si Saturni affulserit radius, pluuiosa tempestas erit expectanda.

Decimo quarto die oritur Lanceator, tempusq; frigidum & humidum efficit.

Decimo octauo occidit vltima in ala Pegasi cum crure eius, tempusq; ventosum & inconstans reddit. Oritur Corona borealis, tempestatesq; in mari minatur.

Deci-

Decimonono Notij piscis dorsum oritur, efficitq; frigidam auram. Oritur cornu Arietis cum Sole, facit plerumque pluuias, niues & ventos.

Vicesimo die occidit Pegasus, auget humidum tempus, oriuntur hœdi, & pluuias procreant.

Vicesimo primo die occidit spica Virginis, auram efficit humidam & ventosam.

Vicesimo tertio oritur lucida Coronæ, tempusq; humidum & ventosum reddit.

Vicesimo septimo die oritur Coruus, Austrumq; experimur.

Tricesimo die oritur Auriga, & tempestates minatur.

Tricesimo primo die occidit manè Cauda Leonis, oritur spica Virginis, hyemat plerunque, aërq; ad niues procliuus est.

Aprilis.

Primo die Caput Andromedæ occidit, frigidumq; promittit aërem.

Quinto die dorsum Piscis occidere incipit, niuium & pluuiarum caussa euidentissima existit.

Decimo die caput Arietis occidit vesperi, subitas mutationes ad niues & pluuias procliues præstolamur.

Duodecimo oritur caput Herculis, & tonitrua promittit.

Decimo tertio die Lyra oritur vesperi, ventos & tempestates prænunciat.

Decimo quinto, decimo sexto & decimo septimo Lepus & Taurus occidere incipiunt vesperi vnà cum Scorpione, pluuias & tempestates minantur.

Decimo nono Lucida Lancis australis manè occidit, imbres Cardano mouet.

Vicesimo die caput Herculis oritur vesperi, efficitq; tempestates.

Vicesimo tertio & vicesimo quarto oritur vltima fusionis Aquarij, facit teste Mercurio tempestates & ventos occidentales. Hæc stella circa meridiem occidit die vicesimo sexto & septimo, si attestetur Saturnus, efficit pruinas. Eodem die vicesimo tertio occidit Cauda Scorpij., pluuiarum prænuncia.

Vicesimo sexto occidit Cauda Arietis, deque natura Martis participat.

Vicesimo septimo occidit pes sinister Orionis, attestante Saturno facit pruinas, Marte verò efficit ventos teste. Eodem die oritur fidicula, & caput Serpentarij, frigidosq; ventos procreant.

Vicesimo nono, vt & tricesimo oritur Serpentarius cum Cygno & Centauro, nebularum & frigoris matutini aliquando perniciosissimi caussa est.

Maius.

Maius.

Primo die oritur Cor Scorpij, aërem æstuosum plerunque reddit.

Secundo die oritur caput Ceti, occidit Cor Scorpij, Balteus Orionis incipit occidere, si attestetur Mars aut Venus, pluuias plerunq; efficit.

Tertio occidit clypeus Orionis eiusdem efficaciæ.

Quinto die occidit Zona Orionis, occidunt & Pleiades, efficiunt plerunq; humidum & ventosum tempus.

Octauo & nono oritur Scorpio, tempestatum procreator.

Decimo occidunt Succulæ, faciunt auram humidam: occidit & Syrius, conturbatur aër à ventis, Austro & Aquilone: Syrij vespertinum occasum, si biduo antecedit vel sequitur Plenilunium, segeti rubedinem, & florescentibus vredinem infert.

Duodecimo occidit oculus Tauri, tempestatesq; procreat.

Decimo tertio oritur Centaurus, occidit sinister humerus Orionis, tempusq; reddit, si Luna feralis, triste.

Decimo quinto oritur venter Ceti, & auram frigidam procreat.

Decimo octauo occidit Heliace Canis minor, fluctuant in cellis vina.

Decimo nono dexter humerus Orionis occidit, tempestatesq; prænunciat.

Vicesimo die occidit caput Medusæ, cornuq; Tauri, & tempestates prædicit: Si Saturnus affuerit cum Marte, efficit subfrigidas pluuias.

Vicesimo secundo die oriuntur Hyades, pluuias faciunt, quæ mali ominis sunt ad prouentum vini.

Vicesimo secundo die occidit pes vrsæ, pluuiasq; prænunciat.

Vicesimo quarto die oritur manè oculus Tauri, efficit pluuias tempestatesque, Suculæ oriuntur & venter Ceti: caput Medusæ verò occidit: oritur Scorpio, & Fera cum Aquila, tempestatumq; caussa sunt.

Vicesimo quinto die oritur vesperi Aquila, pluuiasque repentinas & tonitrua commouet. Aquilæ exortus, si in interlunium aut plenilunium incidat, omnes præcoces & vernos fructus lædi necesse est.

Vicesimo septimo occidit alterum cornu Tauri, & Ophiuchus facit attestante Saturno per oppositionem frigidam auram in toto Maio.

Vicesimo octauo die occidit cuspis Sagittæ Sagittarij, pluuiasq; procreat.

Vicesimo nono occidit Taurus, pluuiasq; designat.

Tricesimo primo die Arcturus occidit manè,

manè, intemperiem aëris cum tempestatibus producit.

Iunius.

Primo die Iunij occidit crus Sagittarij, efficitq; ventos.

Secundo die oriri incipit Delphinus in septimum vsq; diem Iunij, variumq; & nubilosum cœlum, & calorem immensum excitat, aëremq; corrumpit.

Septimo & octauo die Procyon vesperi occidit, eius occasum, qui quatriduo ferè extenditur ad florentem messem, si occupauerit Pleniluniũ, fructus omnes lædi necesse est. Oritur & pes Tauri, cum clypeo Orionis. Procyonis occasus vespertinus si interlunio eueniat, florenti oleæ & viti iniuriam ex vredine adfert.

Duodecimo oritur pes Geminorum cum brachio & clypeo Orionis, occidit oculus Sagittarij, nebulasq; procudit.

Decimo quinto oriuntur capita Geminorum, ventiq; occidentales sentiuntur.

Decimo septimo sinister humerus Orionis oritur, flatque Fauonius pluuiosus, oritur cuspis sagittæ Sagittarij pluuias minans.

Decimo octauo oriuntur stellæ quædam in Eridano, occidit Sagittarius & Ophiuchus.

Vicesimo secundo die oritur alterum caput Geminorum, ventosque occidentales creat: oritur vesperi cauda Scorpij, idq; non sine pluuijs. Oritur pes Visæ.

Vicesimo tertio die incipit occidere Hercules, & facit tonitrua.

Vicesimo quinto die dexter humerus Orionis oritur, pluuiasq; minatur.

Vicesimo sexto oritur Acarnar.

Vicesimo septimo die oritur cinguli Orionis prima: Criticus hic dies est, si pluuia hoc die ceciderit, fieri solet, vt duret continuas quatuor hebdomadas.

Iulius.

Primo die Lucida Coronæ occidit manè, oritur brachium Cancri, & pluuiæ designantur.

Secundo die oritur Orion, efficit tempus varium & inconstans, minatur tonitrua & tempestates.

Tertio die occidit caput Herculis, tonitrua efficit, Ethesiarum prodromi flant.

Septimo die caput Serpentarij oritur, pluuiasq; designat.

Octauo die occidit Præsepe & brachium Australe, pluuiasq; minatur.

Decimo die oritur Præsepe manè, facit pluuiosum tempus teste Marte, Saturno, aut Venere.

Deci-

Decimo quinto Iulij occidunt capita Geminorum, ventosq; occidentales creant, si attestetur Mercurius, aut Coniunctio Iouis & Solis, procellas efficit. Oritur & Canis minor, eodem die occidit nebulosa in Cancro.

Decimo septimo oritur asellus austrinus, pluuiasq; promittit.

Vicesimo oritur caput Leonis, occidit Hercules, tempestates & calor excitantur.

Vicesimo quinto die oritur Leo, occidit cauda Capricorni cum vltima stella fusionis Aquarij, facit aliquando grandines. Pergit occidere Hercules.

Vicesimo sexto oritur Syrius siue Canicula, siccitatem & morbos creat: si tunc temporis Iupiter & Mars ex signis igneis radiorum beneficio permisceantur, hic ortus omnia exurit.

Vicesimo octauo occidit femur Herculis cum cauda Capricorni & Aquila, facitq; immensos calores, qui coruscationum & tempestatum caussæ sunt certissimæ.

Augustus.

Secundo die Augusti ceruix Leonis oritur, nubilosumq; cœlum reddit. Occidit & Aquarius.

Septimo die oritur cor Leonis, Aquilo

inconstans: hoc tempore venæ sectio, vt & scarificatio periculosa est.

Octauo die occidit Cor Leonis, oritur & alter Piscium, qui nonnunquam tempestates elicit.

Duodecimo oritur dorsum Leonis, incipit occidere Delphinus cum crure Aquarij, efficiuntq; hi ortus & occasus, maximè teste Saturno & Marte tonitrua. Oritur & cauda Capricorni cum ala Pegasi, tonitrua & coruscationes portendit Eodem die oriuntur & Pisces cum capite Medusæ.

Decimo tertio occidit brachium Boreale, pluuiasq; designat.

Decimo quinto occidit cauda Ceti, nebulasq; producit.

Decimo sexto occidit Delphinus omnino, pluuiarumq; caussa est.

Vicesimo quinto occidit Lyra, humidum tempus & ventosum pollicetur.

Vicesimo nono occidit ceruix Leonis, cum eiusdem capite, oritur Capra cum Cauda Leonis, occidit cauda Ceti, plerumque grandinum & tempestatum caussæ.

September.

Primo die Septembris ceruix Leonis occidit, oriuntur Pisces & caput Medusæ, pluuias nonnunquam diuturnas mouent, occidit & alter Piscium.

Secun-

Secundo die occidit pes Leonis cum Piscibus.

Tertio occidit Piscis cum Pegaso, oritur Cygnus incipit occidere Scorpius, tonitrua nonnunquam, venti & humiditates expectantur.

Octauo die occidit ala Pegasi, excitat Fauonium.

Vndecimo oritur Crater, Austerq; flat.

Decimo sexto die oritur medium Virginis.

Decimo septimo oritur Arcturus manè, imbresq; cadunt, auolant hirundines, nubilosum plerunque existit cœlum hoc tempore.

Decimo nono & vicesimo die crus Pegasi occidit, & auget humidum tempus & ventosum.

Vicesimo primo die oritur Cornu Arietis & Notius Piscis. Spica Virginis occidit, & plerumque aduentantem hyemem pollicetur.

Vicesimo quarto oritur Lucida Coronæ, aspera in mari hyems existit, aërq; commutatur.

Vicesimo quinto oritur Coruus cum Corona & stellis in Virgine, occidit Cignus, oritur Piscis Notius, plerumq; tempus inconstans denunciant.

Vicesimo octauo die oriuntur reliquæ

ſtellæ in Coruo & Corona Boreali, vnà cum femore Herculis. Aër inconſtans eſt.

Triceſimo primo die oriuntur nates Herculis, occidit caput Andromedæ, flatulentum & inconſtans tempus producit.

October.

Primo die oritur Spica Virginis, frigus & humiditatem procreat.

Tertio die Octobris oritur caput Arietis, de natura Martis; eius ergo effectum ſortietur.

Quinto die occidit Cauda Leonis, teporemque aëris exſpectant noſtri poſtremum.

Octauo occidit Piſcis alter cum capite Ceti, oritur anguis, nebulaſq; procreat.

Vndecimo oritur Hercules manè: efficit, ſi coincidat Quadratus Saturni & Martis, aliquando tonitrua.

Decimo quarto die oritur Cygnus & fidicula, efficit ventoſum & humidum tempus. Eodem die occidit Cornu Arietis, generatq; pluuias teſte Marte: teſte verò Ioue aut Mercurio efficit procellas.

Decimo ſeptimo die oritur Anguis vnà cum pelle in Hercule, occidit & caput Arietis, inconſtans tempus & hyemale promittit.

Viceſimo primo die oritur Cygnus, Hercules,

cules, & fidiculæ stellæ: occidunt præterea quædam stellæ in Tauro, tempus flatulentum procreant & inconstans.

Vicesimo secundo die oriuntur Lucidæ Libræ, Fauonius flat: occidunt stellæ quædam in Tauro, ventorum & pluuiarum promissores.

Vicesimo tertio oritur Hercules cum Lyra & Cygno, occiditq; Lepus cum Andromeda.

Vicesimo tertio quarto & quinto occidit vesperi lucida Lancis Meridionalis, ventosq; occidentales spondet.

Vicesimo sexto & septimo oritur Ophiuchus cum Lyra, & cauda Arietis, cauda itidem Scorpij, frigusque efficiunt & ventos.

Vicesimo nono occidit pes sinister Orionis. Hic occasus solet plerunque nundinas Basileenses pluuiis mixtis niuibus notare.

Tricesimo primo die oritur Centaurus, & efficit nebulas. Oritur & Cygnus cum Lyra & Ophiucho, occidit & Triangulum: Orion & Argo.

Nouember.

Primo die oritur Centaurus cum Cygno, occidit Lepus, emergit Cetus, frigusque pollicentur.

Secundo die oritur vltima fusionis Aquarij cum Pleiadibus & Cauda Ceti, effi-

cit ventos, frigus; humiditatemque pro ratione testimonij.

Tertio die Vergiliæ vesperi emergunt, vt & duodecimo & decimo tertio, pluuiasque denotant mixtis niuibus, nebulas prætereа.

Occidit eodem tempore balteus Orionis cum clypeo & triangulo.

Quarto die oritur caput Ceti cum Aurigæ pede, frigusq; significat.

Quinto die Cor Scorpij occidit vesperi vnà cum balteo Orionis & pede Virginis, pluuiasq; designat.

Sexto die oritur humerus Centauri, vnà cum stella Ophiuchi & dorso Ceti, & nebulas prædicit.

Septimo occidit prima cinguli Orionis, turbidus est aër, & Fauonius flat.

Octauo die oritur Scorpius, & portendit niues.

Nono, decimo & vndecimo occidit Syrius, Austrinamque aëris reddit constitutionem. Occidunt Hyades etiam, & Vergilię ex parte, efficiunt humidam & niuosam auram: quæ constitutio aeris plerunque claudit nundinas Basileenses.

Duodecimo & decimo tertio Vergilię ex parte oriuntur: oritur & Scorpius, occidit oculus Tauri, & sinister humerus Orionis, oritur Centaurus & pes Ophiuchi, ac tempus

pus humidum ad niues, si non in planitie, in montibus tamen procliue producunt.

Decimo tertio occidit lucida Librę Lancis Borealis: Fauonius flat.

Decimo sexto oritur Aquila, aeremque inconstantem promittit: cùm Mercurij directio in hunc incidit diem, efficit ventos & procellas.

Decimo septimo & octauo occidit dexter humerus Orionis cum Vergiliis & capite Medusæ, oritur Centaurus cum fera, tempus efficit humidum & niuosum.

Decimo sexto, septimo & octauo oritur Aquila cum Ophiucho & Cygno, occidunt Pleiades cum stella in Cornu Tauri. hoc die si dirigatur Mercurius efficit ventos & pluuias. Saturnus si, cùm Luna plena est, attestetur, efficit frigus.

Vicesimo die oritur Cor Scorpij cum Iaculo, niuesq; portendit. Si nullus Planetarum aspectus adsit, frigus & nebulas efficit.

Vicesimo tertio die oriuntur Hyades, oritur & Cornu Tauri, nubilosum & humidum cęlum cum ventis occidentalibus experimur. Oritur & pes Vrsæ.

Vicesimo quarto die Arcturus occidit heliacè, facit imbres: occidit & caput Medusæ cum pede Ophiuchi.

Vicesimo quinto die oriuntur Succulæ,

testeq; Saturno frigus maximum oritur, oritur & stella in imo ventris Ceti, ac niues pollicetur.

Vicesimo sexto die oritur Aquila omnino, procellasq; experimur nonnunquam. Eodem die occidit cuspis sagittæ Sagittarij de natura Martis & Lunæ.

Vicesimo septimo & octauo oritur oculus Tauri cum Hyadibus, auram plerunque humidam, niuosam & ventosam sentimus. Eodem die occidit manè cornu Tauri.

Vicesimo nono die occidit manus Sagittarij, oritur & Aquila cum fera.

December.

In principio huius mensis Austrini venti exspectandi sunt.

Primo & secundo die oritur crus Sagittarij, oritur & Centaurus cum fera & Aquila, occidit verò pes Pegasi, humiditatem auræ, ventosq; experimur.

Tertio die occidit Arcturus vesperi cum Ophiucho. Emergit & Delphinus pluuiarum genitor.

Quarto die incipiunt occidere Gemini, oritur Delphinus cum Pegaso, venti & pluuiæ generantur: eodem tempore oritur vltima fusionis Aquarij cum Cornu Tauri: promittitq; tempestates in mari.

Sexto die oriuntur quædam stellæ in Sagit-

gittario, occidit & Orionis manus.

Septimo die occidit Delphinus, & Cauda Scorpij, oriuntur Gemini, efficiuntq; niues & frigus.

Decimo die oritur Procyon.

Duodecimo oritur Clypeus Orionis, pluuiarum designator. Eodem die alterum è capitibus Geminorum emergit, ventosque occidentales creat.

Decimoquarto oritur Sagittarius, occidunt Gemini, venti & frigus procuduntur.

Decimo sexto oriuntur nates Geminorum cum pede Pegasi, ventiq; procreantur.

Decimo octauo oritur Cuspis Sagittarij sagittæ, niues & pluuias procreat.

Vicesimo die occidit oculus Sagittarij, & eiusdem Caput cum pede Pegasi, nebulæq; & humiditates efficiuntur. Oritur Caput Anguis, occidit & nebulosa in Orione.

Vicesimo secundo die oritur alterum è capitibus Geminorum: ventosque, aliquando niues procreat: oritur & pes Vrsæ.

Vicesimo tertio occidit cauda Scorpij, nebulasq; efficit.

Vicesimo quinto emergit sinister humerus Orionis, tempusq; redditur ventosum & frigidum.

Vicesimo sexto oritur crus Pegasi, Andromeda cum Perseo, Fauoniusq; flat, cæteriq; venti occidentales nonnihil reserantur.

Viceſimo ſeptimo die oritur dexter humerus Orionis, humidum tempus, ſi Iupiter teſtimonium eidem perhibuerit, tempeſtas efficitur.

Viceſimo ſeptimo oritur Capricornus, emergit & Zona Orionis cum crure Pegaſi: aura redditur frigida & flatulenta, plerunq; tamen eidem qualitati non inſiſtit, ſed perinde mutatur.

Triceſimo die occidit Corona Borealis, emergit & Borei brachij extremum, efficitque inconſtantem aërem ad niues aut pluuias procliuem.

Triceſimo primo occidit Corona Borealis, oritur ſiniſter pes Orionis, occidit Centaurus: aërem inconſtantem frigidum, ad niueſq; procliuem reddit.

Et hactenus de ortu & occaſu aſtrorum ſingulis diebus menſium congruente dictum eſt. Miraberis verò, cur tam rarò ſeſe hæ aſtrorum ortuum & occaſuum ſignificationes offerant. Verùm plerumque ſe offerre, Sole modò adiuto aliorum Planetarum ſuffragio, exiſtima.

Quod enim in magno aliquo Concilio euenire ſolet, id in cœlo reuera quo ad hanc ſublunarium viciſsitudinem à Planetarum habitudine dependentem conſpici poteſt. Vt itaq; præſes Concilij ſine ſuffragio aliorum, aut certè potentiorum & præſtantio-

rum nihil decernit: ita Sol situ & lumine aliis Planetis longè præstantior, tanquam Rex, si suffragio aliorum Planetarum, præsertim trium superiorum destitutus, parùm aut nihil operatur. Hinc contingit, vt nullo Planetarum respiciente Vergilias, siue Pleiades, tempus plerunq; serenum, frigidum tamen & pruinosum efficiatur, vt accidit Anno 1604. similiter de aliis iudicandum. Serenitatem verò tunc spondebis intrepidè, si deprehenderis Planetas superiores, maximè Martem à stellarum tempestuosarum & pluuiosarum congressu abstinere: pluuias verò ex contrario colliges.

Verùm enimuerò ne hac in parte quicquam hanc diuinissimam cognoscendi vicissitudinem aëris scientiam desideranti addiscere, desit; non piguit ortus occasusq; syderum præcipuorum, singulis gradibus Zodiaci correspondentes, & ad Horizontem Basileensem circumiacentisque regionis conformatos subiicere, idque secundum signorum ordinem.

ORTVS ET OCCASVS
stellarum fixarum.

Aries.

1 Occidunt quædam stellæ in Pegaso, cum ventre Ceti & Cigno.
3 occidunt aliæ stellæ in Pegaso.
6 oritur dorsum Notij Piscis, & Cornu Arietis.
7 occidit crus Pegasi, cum ventre Ceti.
8 oritur altera stella in cornu Arietis.
9 occidit vltima in ala Pegasi.
17 oriuntur stellæ quædam in capite Arietis.
20 oritur Cauda Ceti, occidit & caput Andromedæ.
24 occidit dorsotenus Piscium alter, cum capite Ceti.
28 occidit Piscium alter cum capite Ceti.

Taurus.

1 occidit cornu Arietis.
10 occidunt quædam stellæ in Tauro.
11 vsque in 18. emergunt Vergiliæ.
16 oritur vltima fusionis Aquarij, occidit & pes sinister Orionis.
18 emergunt quædam stellæ in Ceto.
20 oritur cauda Ceti.
22 oritur cauda Arietis, & caput Ceti.
23 occidit balteus Orionis.

26 ori-

26 oriuntur quædã stellæ in ceruice Tauri.
26 27 28 occidunt Pleiades cum Hyadib.
30 occidit oculus Tauri cum sinistro humero Orionis, & Cane maiore.

Gemini.

2 oritur venter Ceti, occidit nebulosa in Orîone.
6 occidunt quædam stellæ in Tauro circa cornua.
7 occidit dexter humerus Orionis.
8 oritur Cornu Tauri.
10 oriuntur Hyades.
14 occidit caput Medusæ, & Lucida Hydræ.
22 incipiunt occidere Gemini.
24 oritur alterum cornu Tauri cum Orione, occidit stella extra formam Argo nauis.
27 occidit Canis minor.
28 oritur clypeus Orionis.

Cancer.

1 oritur caput prius Geminorum.
4 occidunt nates Geminorum.
5 oritur sinister humerus Orionis.
10 oritur alterum caput Geminorum, oritur & nebulosa in dorso Orionis.
11 occidit Lucida Hydræ.
13 oritur dexter humerus Orionis.
15 oritur balteus cum prima zonę Orionis.
17 oritur secunda zonæ Orionis.

18 oritur brachium sinistrum Cancri.
19 oritur sinister pes Orionis, & tertia zonæ.
22 occidunt brachia & humeri Geminorum.
26 occidit brachium dextrum Cancri.
30 oritur Præsepe.

Leo.

1 oritur nebulosa in Cancro, & nares Leonis, occidit medium Cancri.
3 oritur Canis minor cum asello.
4 occidunt capita Geminorum.
6 occidit asellus boreus cum Cratere.
7 oritur caput Leonis.
12 oritur Canis maior.
18 oritur Ceruix Leonis.
33 oritur Cor Leonis.
24 occidit Cor Leonis, & Coruus.
28 oritur dorsum Leonis.

Virgo.

2 oritur Lucida Hydræ, occidit caput & ceruix Leonis.
10 oritur Cauda Leonis.
14 occidit caput Leonis, & altera in ceruice eiusdem.

Libra.

1 oritur femur Bootis.
2 oritur zona Virginis.

3 ori-

3 oritur Arcturus.
9 oritur Lucida Coronæ, occidit ſpica Virginis.
12 oritur Coruus.
14 oriuntur nates Herculis.
18 oritur ſpica Virginis, occidit dorſum Leonis.
20 occidit Cor Leonis.
28 oritur vultur cadens.
29 occidit zona Virginis.

Scorpio.

1 oritur pes Virginis, occidit cauda Scorpionis.
3 oritur lucida Anguis.
8 oriuntur lucidæ Lancis Libræ.
10 oritur caput Herculis, occidit prior Lancis & cauda Scorpionis.
19 oritur caput Ophiuchi.
24 occidit Cor Scorpionis.
26 oritur Scorpio.

Sagittarius.

2 occidit altera lancis Libræ.
4 oritur Aquila.
8 oritur Cor Scorpionis.
14 oritur Aquila.
16 occidit pes Ophiuchi, & manus Sagittarij.
21 oritur Delphinus vſq; in 30. occidit Arcturus & crus Sagittarij.

25 occidit Lucida anguis.

Capricornus.

1 oritur pes Pegasi.
4 occidit oculus Sagittarij.
7 oriuntur quædam stellæ in Pegaso.
10 oritur Oculus Sagittarij, occidit Caput Sagittarij.
11 oritur manus Sagittarij.
12 occidunt quædam stellæ prope Caudam Sagittarij, oritur Cauda Scorpionis.
16 oritur Crus Sagittarij.
18 occidit lucida Coronæ.
20 oritur Capricornus.
23 occidit Capricornus & Caput Herculis, occidit & Notius.
25 occidit Caput Ophiuchi.
29 oritur Crus Sagittarij & Aquarius.

Aquarius.

1 oriuntur quædam stellæ in Aquario cum Capite Andromedæ.
2 oritur Crus Sagittarij.
3 oritur ala Pegasi.
7 oritur Andromeda.
10 oritur cauda Capricorni, occidit eadem cum vltima fusionis Aquarij.
14 occidunt reliquæ stellæ in Cauda Capricorni.
16 occidit Aquila.

30 occi-

20 occidit vltima pars Caudæ Capricorni, oritur caput Meduſæ.
23 oritur cauda Capricorni & Piſcium.
27 vſque in 4. Piſcium occidit Delphinus.
28 occidit crus Aquarij.

Piſces.

1 oriuntur Piſces, oritur vltima in ala Pegaſi.
4 occidit Aquarius cum Lyra.
9 occidit Lyra.
10 occidit caput Pegaſi.
16 oritur Crus Aquarij, occidit cauda Ceti.
18 occidit Piſcium alter.
25 oritur altera in crure Sagittarij.
30 occidit cauda Ceti.

Capvt XXIX.

De effectibus quibuſdam peculiaribus Planetarum, Syzygiarum, exortuum & occaſuum.

BReuiter his maximè cognitu neceſſariis pertractatis, nunc quædam etiam axiomata non vulgaria ſuperiora declarantia annectemus.

1 Coniunctio Mercurij & Solis in Capricorno, intra occaſum Martis cum Delphino, Saturno oriente cum Arcturo, efficit ventos maximos & horriſonos occidentales, conquatientes terram & maria, pluuias



insuper magnas producit, quibus adaucta flumina, non modicum inferunt damnum.

2 Ad sextum, septimum, octauum, nonum & decimum Ianuarij, si nulli Planetarum, præsertim tempestuosorum, Solem intuiti fuerint, nullusq; illorum ad alterum efficacem radium habuerit, aut cum sydere tempestuoso occiderit aut ortus fuerit, prædic serenitatem & frigus: nec hanc impedit ortus Saturni cum Delphino.

Tempestuosa verò sydera sunt, Arcturus, Hyades, Pleiades, Orion, Præsepe, Aselli, Lucidæ Libræ, Cor Scorpij, Cauda & Cor Leonis, Canis maior & minor, Capita Geminorum, Delphinus & Aquila, &c.

3 Sextilis Iouis in Capricorno ad Martem in Piscibus constitutum, efficit ventos & maximas pluuias, tepidamque auram in hyeme.

4 Oppositio Solis & Saturni sub finem Aprilis vitibus perniciem maximè Lunâ plenâ minatur.

5 Si orientem Delphinum aspiciat Mars, Venus, vel Saturnus, producit pluuias, & quidem diuturnas.

6 Si orientem Orionem aspiciat Saturnus vel Mars, itidem pluuias & inundationes portendit.

7 Si Delphinus & Orion cum Saturno

aut

aut Marte oriantur in principio mensis Iunij, inundationes continuas, nociuas & perniciosas prædic.

8 Si in mense Iunio Saturnus respexerit Delphinum orientem, & ad septimum vel octauum incidat aspectus Lunæ ad Saturnum, Lunâ maximè plena, prædicere subfrigidum tempus non erubesces.

9 Quando Saturnus, Iupiter, aut Mars, siue Venus aspicit sydus nymbosum oriens, & insuper cum Luna misceatur ex signo Aquatico, non obstãte Iouis cum Luna aspectu, tempus humidum & pluuiosum significat.

10 Quando Mars respicit capita Geminorum, prædic sub eorum ortum tempus pluuiis refertum.

11 Si ab initio mensis Iulij nullus Planetarum testimonium perhibuerit, à stellis fixis nulla fiet aëris conturbatio.

12 Præsepe solum modicè conturbat, adiutum notabilem infert aëri conturbationem.

13 Aspectus Martis & Mercurij in Libra incidens in decimum quartum Iulij, efficit tonitrua & ventos.

14 Coniunctio Solis & Mercurij in Leonis primo gradu, efficit tonitrua, pluuias & ventos.

15 Si in mense Iulio capita Geminorum

occidentia aspexerit Mars, tunc metu grandines & pluuias.
16 Mars aspiciens occidens Præsepe, efficit ventos & pluuias.
17 Mercurius si in Iulio dirigatur, efficit ventosum mensem.
18 Iupiter si dirigatur, efficit ventos immensos, pluuias & tonitrua.
19 Quadratus Saturni & Mercurij, Coniunctioq; Solis & Iouis in Leone die duodecimo, decimo tertio, & decimo quarto Iulij, efficiũt turbines & procellas: Windsbraut.
20 Saturnus quandò dirigitur in Augusto, in Sagittario constitutus, efficit pluuias leues vno die durantes.
21 Si Saturnus respexerit Lyram occidentem, efficere solet ventos leues & cœlum nubilosum, nebulas etiam & matutinum tempus frigidum, pluuias nonnunquam mixtis radiis solaribus.
22 Saturnus & Mars testes Delphino in mense Augusto efficiunt tonitrua.
23 Quadratus Saturni & Solis in Augusto efficit frigidum tempus matutinum: ipsum diem verò in quem incidit nebulosum & & subfrigidum, humidumq;.
24 Venus in Augusto constituta in 15. Libræ gradu, retrocedens efficit per biduum pluuias.

Op-

25 Oppoſitio Saturni & Lunæ, ſubſequente Oppoſitione Iouis & Lunæ, nebulas efficit & pruinas.

26 Coniunctio Solis & Veneris, Venere orientali facta, nebuloſum cœlum & tempus humidum, maximè ſi in diem viceſimum Septembris incidat, efficit.

27 Sextilis Saturni & Solis ad diem 24. Septembris efficit frigidos ventos, tempuſq́; nebuloſum ad humiditatem procliue.

28 Coniunctio Solis & Mercurij in Libra facit inconſtans tempus & ventoſum.

29 Coniunctio Iouis & Mercurij in Libra efficit ventos.

30 Coniunctio Iouis & Solis in Scorpione efficit pruinas & varium aëris ſtatum: Aprillenwetter. Circa id temporis ſeſe nonnunquam meteora exhibent.

31 Si Mars aſpiciat Solem, maximè ſi Ioui iungatur ad vltimum Martij, & vltimum Septembris, aut quartum Octobris, ſequũtur immenſæ pluuiæ: quia tunc temporis Cauda Leonis occidit: etiam per ſextilem adiuuans Solem, efficit nebulas, humiditates, in montibus niues.

32 Sol ingrediens Scorpionem, ſi Mars reſpiciat, cui Venus per quadratum copulatur, dirigens curſum ſuum efficit pluuias & nebulas.

33 Mercurius quando in Scorpione retro-

cedit, efficit frigidos ventos.
34 Sextilis Martis & Veneris in Sagittario & Scorpione efficit multas nebulas.
35 Vicesimo secundo Octobris si lunatio contingat, stante interim Mercurio, venti occidentales & pluuiæ exoriuntur.
36 Si Luna aspiciat Solem orientem cum Ophiuchi capite, aut Saturno, nullo alio Planetarum præsente, prædic ingens frigus, nebulasq; pestilentes.
37 Nullo Planetarum respiciente Vergilias, siue Pleiades in Nouembri, tempus plerumque serenum est, & pruinosum, nisi aspectus validus eandem qualitatem inferat aëri.
38 Mercurius directus in mense Nouembri in Scorpione constitutus, efficit nebulas & humidum tempus, idq; si duo superiores in igneis signis fuerint: aliàs niues producit. Ventos verò immensos excitat, si procedere incipiat ad diem decimum sextum eiusdem mensis: tunc, si vel Mars, aut Iupiter respiciunt, procellosum tempus expectandum & humidum, Aquila enim tunc temporis oritur.
39 Saturnus cum Sole coniungendus per plures dies ante & post solet efficere syderibus nymbosis occidētibus maximè, nymbosum & niuosum tempus.
40 Ortus Hyadum cum oculo Tauri effi-
cit

cit plerumq; maximè Saturno teste pluuiosum, humidum, nubilosum tempus, ventosque occidentales vehementes, maximè si Mars ingrediatur Saturni ædes, aliudq; signum aëreum aut aquaticum.
41 Hyades & Pleiades mouent ventos occidentales.
42 Saturnus in Sagittario ante solstitium hyemale rarissimè intendit frigus.
43 Mars in vndecimo gradu Aquarij efficit niues, quia occidit cum Aquario & Capricorno, oritur verò cum Cancro, & vltima fusionis Aquarij.
44 Quadratus Martis & Veneris in Aquario & Scorpione in Decembri, efficit multas niues, & humidam auram, ratio non est obscura.
45 Coniunctio Saturni & Mercurij in Sagittario ad decimum quintum Decembris efficiunt frigidissimam auram.
46 Coniunctio Iouis & Solis in Capricorno ad decimum septimum Decembris efficit niues & ventos, auramq; tepidam aprissimam ad profusissimas niues, quibusdam in locis pluuias producit & nebulas, idque ob ortum sinistri humeri Orionis.
47 Coniunctio Iouis & Mercurij in Capricorno ad diem vicesimum Decembris intra Oppositionem Lunæ & Solis, efficit vẽtos occidentales, pluuiasq; mixtis niuibus.

48 Saturnus cum Arcturo occidens, efficit nebulas, & ad niues procliue tempus in hyeme.

49 Saturnus oriens cum Delphino, efficit nebulas & frigus modicum in hyeme.

50 Saturnus occidens cum Lucida Lancis in primo Sagittarij tempore hyemali efficit ventum Subsolanum frigidissimum aërem serenantem.

51 Saturnus oriens cum Delphino, si Mars ex 24. gradu Piscium respexerit, efficit multis diebus antè & pòst pluuiosam & ventosam tempestatem, aër præterea redditur inconstans.

52 Saturnus in Sagittario retrocedens in Martio efficit frigidum & pluuiosum tempus, ventosq; orientales vehementes.

53 Quadratus Saturni & Mercurij, illo in 27. gradu Sagittarij, hoc in 27. gradu Pisciū constituto, cùm ille oriatur cum Delphino, hic verò occidat cum ala Pegasi, maximè si & tum Mars cum Pleiadibus oriatur, in fine Martij efficit niues & ventos, Luna tamen decrescente magis, quàm crescente: rationem suprà in cap. de Luna audiuisti.

54 Ioue in duodecima Capricorni constituto occidente, è conuerso oritur dexter humerus Orionis, quem si contempletur per aspectum Mars ex Piscibus, efficit sub vesperam ventos, pluuias, & quidem diluculò

culò maximas, tepidamq; auram creat, idq; in medio Ianuarij experti ſumus.
55 Iupiter in decimo quarto gradu Capricorni conſtitutus, oritur cum crure Pegaſi, efficitq; ventos vehementes occidentales, cogit nubes ac condenſat, effunditq; pluuias largiſsimas.
56 Coniunctio Iouis & Veneris in 16. gr. ♑, efficit vẽtos & pluuias, quia tunc temporis occidunt hi Planetæ cum Lucida Coronæ.
57 Iupiter occidens cum Corona, efficit ventos occidentales, pluuioſumque nubiloſum & inſalubre tempus in hyeme.
58 Coniunctio Iouis & Mercurij in ſeptimo Capricorni facit ventos vehementes, pluuias, in hyeme niues, quia oriuntur hi Planetæ cum ſtellis in pede Pegaſi ſitis.
59 Sextilis Iouis & Mercurij in 16. Capricorni & ♓ efficit vẽtos & niues in hyeme.
60 Sextilis Iouis & Mercurij in decimo nono gradu Capricorni & Piſcium, retrocedante Mercurio, efficit nubiloſum cœlum, ventos leues & Halonem, ſi Luna Plenilunio proxima ſit.
61 Sextilis Iouis & Solis in 21. gradu Capricorni & Piſcium, efficit in principio Martij ventos frigidos & niues, per duos dies ante & poſt.
62 Quadratus Iouis in 22. gradu Tauri, & Martis in 22. gradu Arietis conſtituti efficit incendia.

63 Sextilis Iouis & Mercurij in 25. gradu Capricorni & Piſcium, efficit ventos occidentales & pluuias, ad 30. diem Martij, adſtipulante occaſu Caudæ Leonis.

64 Iupiter cum Pegaſo oriens efficit, ſi Mars reſpiciat, tonitrua & coruſcationes ſub finem April.

65 Mars ſi conſtituatur in 12. Piſcium, oritur veſperi Cauda Leonis: efficit ergo nubiloſum humidum tempus, in Ianuar. niues: huic ſi eo tempore applicetur Iupiter per ſextilem ex Aquario, procudit ventos, humiditatem, tepidamq; auram.

66 Mars occidens cum Piſcibus in 18. gradu Piſciũ conſiſtens, efficit vẽtos & pluuias.

67 Mars occidens oriente Corde Leonis in Decembri, efficit niues, pluuias & ventos vehementes.

68 Mars cum ala Pegaſi occidens, efficit ventos & pluuias vehementes in Februar.

69 Mars in primo gradu Arietis occidit cum ſtellis Ceti & Pegaſi, efficit in Februario niues, ſimul oriente & Arcturo, triſtem & nubiloſam producit tempeſtatem.

70 Mars in primo Arietis cum Arcturo oriens, efficit calidos & inſalubres ventos.

71 Mars cum crure Pegaſi & ea quæ in poſteriore parte alæ eſt, occidens, tepiditatem auræ continuat in hyeme, nubiloſumque cœlum efficit.

72 Mars

72 Mars in cæteris gradibus Arietis serenitatem aëris, si quæ est in Martio non impellit.

73 Mars in primo Tauri conatur efficere nubes & pluuias, excitat ventos tepidos, Fauonium nimirum, aliosq́; occidentales, idq́; sub vesperam, quia occidit cum Cornu Arietis, idq́; maximè, si Sol cum Cornu Arietis eodem die oriatur.

74 Mars oriens cum Pleiadibus aut Lucidis Libræ, quando oritur Caudá Leonis, efficit niues, granula, pluuias & ventos, idq́; in principio April.

75 Mars cum Orione & Pleiadibus oriens in 13. Arietis constitutus, circa 10. April. efficit pluuias frigidas.

76 Mars cum sinistro pede Orionis occidens in 16. Tauri efficit nubes, in aliquibus locis pluuias, in æstate tonitrua.

77 Mars cũ Hyadibus & oculo Tauri, sinistro item humero Orionis occidens, efficit tonitrua, grandines, imbres, calorem intensum, idq́; tum maximè, quando Iupiter suũ ei non denegauerit testimonium, qui caussat fulmina, siquidem Mars & cum Canicula occidat, calidissimam ita tempestatem in frigidam & humidam restituit, nubesq́; cœlo obductas aliquot diebus retinet.

78 Venus quando ingreditur Aquarium efficit pluuias & ventos.

79 Venus in 24. gradu Tauri efficit pluuias.

80 Sextilis Veneris & Martis, eo in 12. Arietis, & Venere in 12. gradu Libræ conſtituta, efficit pluuias & ſubfrigidum tempus.

81 Coniunctio Veneris & Mercurij in 13. gradu Piſcium, procliuem aërem ad pluuias & ventos efficit, per ſe verò nihil operatur.

82 Quadratus Saturni & Veneris in viceſimo ſeptimo gradu Sagittarij & Piſcium, quia Saturnus occidit cum Cane minore, efficit ventos & ſereniſsimam tempeſtatem, maximè ſi Mars oriatur cum Lucida in Libra.

83 Venus in Autumno efficit plerumq; nebulas, in hyeme niues, præſertim in humidis & Aquaticis, vt Geminis, Libra, Aquario & Cancro.

84 Venus quando tranſit per Pleiades, coniuncta aut oppoſita Lunę facit pluuias, ſi in eum tranſitum incidat ortus & occaſus ſyderis pluuioſi aut niuoſi, producit niues & pluuias.

85 Mercurius in 24. Aquarij oritur & occidit cum Corde Leonis, in ſextili aſpectu Saturni efficit nubiloſum, humidum & ſubfrigidum tempus, paulò poſt reddit ſerenum.

86 Mercurius in decimo ſexto Piſcium occidit cum Cauda Ceti, efficit ventos & niues in hyeme, maximè ſi Iupiter ex 16. Capri-

pricorni respiciat.
87 Mercurius in themate Lunationis in medio cœli constitutus, excitat ventos, ventosamq; quartam efficit: sequitur autem potioris domini Lunationis naturam.
88 Mercurij natura est, cogere nubes, & nubilosam efficere tempestatem.
89 Mercurius si quartæ alicuius Lunationis administrationem nactus fuerit, præter nubes & ventos facit.
90 Mercurius Soli in signis aëreis, Aquario, Geminis & Libra efficit pluuias mites, aliquando & flatus, hyeme plerunque pluuias.
91 Saturnus cum Mercurio efficit mites pluuias in igneis, vt Sagittario, Ariete, & Leone.
92 Mercurius Soli in Ianuario iunctus, efficit per aliquot dies niues, granula & ventos, occidentales quidem, si fiat occidentalis.
93 Mercurius stationarius ante directionẽ efficit ventos occidentales & pluuias repentinas.
94 Mercurius si de signo in signum transeat, aut si stationarius sit, ventos vehementes designat, pluuias & niues pro temporum diuersitate.
95 Oppositio Mercurij & Lunæ in signo aquatico & aëreo eadem portendit.

96 Venus retrograda Sole in Aquario, Capricorno & Piscibus, efficit hyemem pluuiosam.
97 Venus retrograda Sole in Ariete & Tauro constituto, efficit ver humidum.
98 Mars si ascendat in circulo suo, quod fit in ♒, ♓ & ♈, tunc ipsius calor & siccitas augetur. Si descendat, quod fit in ♌, ♍ & ♎, calor eius cum humore erit, & significabit morbos ex sanguine ortum habentes.
99 Luna impeditur à Marte si sit plena, à Saturno si decrescat, & sit noua: Luna crescens lumine cùm est in Cancro, facit diem nebulosum, & nubibus redundantem.
100 Mars coniunctus Arcturo in 17. gradu Libræ facit dies pluuiosos.
101 Coniunctio Solis & Saturni in Leone, generat æstatem pretorridam: in Capricorno verò hyemem frigidam & niuosam plus solito procudit.
102 Mars & Sol in signis Septentrionalibus, Ariete, Tauro, Geminis, Cancro, Leone, Virgine, constituti producunt calorem.
103 Sol & Saturnus in meridionalibus à Libra vsq; in Arietem augent frigus.
104 Planeta qui est dominus & significator anni, quàm diu inuenitur in aliquo signorum, significat secundum proprietatem illius Planetæ, cuius signum illud est: vt si Mars occupet signum Sagittarij, cui domi-
nari

nari dicitur Iupiter, habebit aliquando significationem Iouis.

105 Si aliquando in Reuolutione anni Luna inimico radio intueatur Saturnum, vt nõ nunquam fit, accidẽt infirmitates filiis Regis & Principis alicuius: cui tamen axiomati calculum meum meritò denego.

106 Si administratio temporis deferatur Saturno, grandinem demittit, aëra obnubit & prolongat nubes nubibus supponens.

107 Saturnus in Oriente, vel in quolibet cardine, dominus, orientalis dignitatũ suarum aliquam obtinens, prȩsertim in medio cȩli, transmutat & corrumpit aërem, obscuritateq; noxia inficit, & in alterius tẽporis naturam penitùs transducit: nam de calido frigidissimum efficit.

108 Quodcunq; signum Saturnus in Præuentionali vendicauerit, secundum eiusdẽ naturam annus mutari videtur. Calidum namq; calorẽ, frigidum frigiditatem, siccũ ariditatem, humidum humiditatem innuit.

109 Venus, Sole ingrediente in Arietem in signo pluuioso & aquatico sub luce & radiis Solis, occidentalis si cõstituta reperiatur, in principio anni pluuiȩ multæ, in fine paucæ oborientur. Orientalis si sit, contrarium promittit. Verùm & hoc axioma contra ordinem naturæ effectum separat à sua caussa synectica: proinde fallax & erroneum multis imponit.

110 Iupiter in ſigno aquatico, dum Venus & Luna eidem applicantur, Sole in Ariete conſtituto, eo anno multas ſed ſalubres ſpondet pluuias.
111 Iupiter & Luna in Cancro augent imbres.
112 Coniunctio Veneris, Solis, Lunæ & Mercurij efficit diem nubibus redundantem.
113 Quoties Sol Tropicum ſignum ingreditur, Venere in aquatico ſigno diſcurrente, ſi Luna quoq; in aquatico reſpiciat, imbrium redundantiam portendit.
114 Sole in Scorpionem ingrediente, ſi Venus fuerit occidentalis, ſignificat imbres.
115 Coniunctio Martis & Mercurij ſignificat, quòd homines falſabunt monetas, in ſapientibus moleſtias generat.
116 Saturnus in Reuolutione anni, ſi fuerit in aliquo angulorum, ſignificat annonæ caritatem. Hoc axioma adſcribunt quidam Abrahamo Iudæo, verùm inſulsè.
117 Coniunctio Saturni & Iouis in igneis ſiccitatem, in humidis aquarum continuas inundationes parit.
118 Oppoſitio Saturni & Iouis in humidis aſteriſmis mutationis & alterationis cauſſa euidentiſsima, creat pluuias cum ventis & grandine.

120 Con-

119 Radius Oppositus, Quadratus, Coniunctio itidem Saturni & Martis in humidis, nubes & grandines, præsertim æstate, parit.

120 Coniunctio Saturni & Mercurij diem nebulosum & humidum reddit, secundum superiorem tamen determinationem.

121 Iupiter in 26. Capricorni gradu in Aprili cursum retro dirigens ventos & pluuias, maximè si & insuper in Trigono Mercurij sit, nebulas itidem significat. Si interim Mars oriatur cum ventre Ceti efficacissimè producendo frigidas nebulas operatur.

122 Iouis & Solis Trigonus in 27. Capricorni & Geminorum, quia occidit prima zonæ, procudit plerumque nubes & pluuias.

123 Mars cum oculo Tauri occidens in principio Maij, efficit grandines, tonitrua, coruscationes, ventosque vehementes, sequentem verò diem rorulentum.

124 Mars oriens cum ventre Ceti, dum Iupiter regreditur, in vere efficit ventos frigidos occidentales, & pluuias cum grandine.

125 Coniunctio Martis & Mercurij in 3. Geminorum cœlum nubibus vestit, sub noctem verò pluuias educit.

Et hæc quidem generaliora sunt quæ habentur ex recenti obseruatione axiomata,

quæ auctoritatibus approbare nō duxi necessarium, cùm ad sensibilem aëris qualitatem quadrantia satis se ipsa probent: fundamentis verò firmissimis & validissimis niti quilibet eorum, quæ suprà dixi, memor videt, adeò vt de eorum fide & perpetuitate dubitari non debeat. Interea tamen necesse est, vt eâ ingenij dexteritate hæc applices, quâ par est: siquidem sæpissimè eueniat, vt vitium non in regula sit, verùm in ipsa regulæ applicatione.

Plerisq; verò eorum tempus operationis eiusdem adnotatum vides, sed nec hoc sufficere puta ad certitudinem prædictionum. In syderum ortibus & occasibus proinde hoc statue, ortum plurimum nos, occasum antipodes concernere. Occasus autem vim nonnunquam (quam mutationis alicuius temporalis vestigium diceres potiùs) experimur: verùm eadem die, si sola sit, plerumque expirat, tempusque tranquillum & serenum insequens pollicetur. Habitudo præterea Lunæ ad Solem multum huc confert: quod cùm suprà à me fusiùs sit explicatum, ne actum agamus, hic subsistam. Verùm cùm hactenus viderimus quæ sit efficacia Planetarum respectu aspectuum, ortus & occasus syderum motus itidem, eandem generalioribus fasciculis incluserimus, operæprecium erit & nunc singularibus capitibus,

bus, primò diuersitatem qualitatis Planetę respectu habitudinis ad Solem, deinde virtutem eorundem, quam habent in singulis Zodaici signis, & tandem energiam Aspectuum tam mutuorum, quàm ad Lunam depingere & demonstrare.

CAPVT XXX.

De qualitatibus Planetarum pro ratione positionis ad Solem.

RESpectus ille, quem habere dicuntur Planetæ ad Solem tanquam Regem, consistit in Comitatu, & Præcessione.

Comitari autem Planetæ tunc dicuntur Solem, cùm eum sequuntur: præcedere verò, cùm eundem antecedunt.

Comitatus autem plerumque occidentalitas, Præcessio verò Orientalitas appellatur.

Tres itaq; superiores, Saturnus nempe, Iupiter & Mars à Coniunctione Solis vsq; ad Oppositionem Orientales sunt, ab Oppositione verò ad Coniunctionem Solis Occidentales dicuntur. Duo autem inferiores, Venus & Mercurius, quàm diu Solem sequuntur Occidentales, antecedentes verò Orientales appellantur. Pro diuersitate nunc huius affectionis diuersam sortitur Planeta qualitatem. Verùm vehementer

Aſtrologiã impingere in fundamenta Phyſices, vti quæ nullum accidens cœleſtibus corporibus vt ſimplicioribus adſcribere patiatur, eam verò & accidens & alteratione attribuendam perperam cenſere inquies. Aſt pace tua hoc dictum ſit: Aſtrologiæ enim ſobriè conſideratæ adeò bene cũ Phyſica conuenit, vt ex hac ipſa ſua principia tanquam vberrimo fonte cauſſarum naturalium hauriat. Aliud itaq; eſt, attribuere qualitatem aſtris, ratione effectus, aliud verò ratione ſubſtantiæ & οὐσίας. Aſt Aſtrologia verſatur in effectibus, quorum intuitu Planetam calidum vel frigidum, vel humidum, vel ſiccum dictitat: hocq; non quidem ideò, quod hæ ipſæ primæ qualitates tactiles inſint corpori Planetæ ſydereo; verùm ea de cauſſa, quòd talis ſit influentia corporis ſyderei, vt nunc hunc, nunc illum, pro diuerſitate poſitus & radiorum mixtura ſortiatur effectum.

Nec licet hoc loco argumentari, talem eſſe cauſam, qualem effectum, cùm modum efficiendi & cauſſandi longè alium in cœleſtibus corporibus, quàm ſublunaribus & elementaribus cernere liceat. Aſt Sol fons caloris & vitæ, ſi ſecundariam contempleris cauſſam meritò dicitur? Verum quidem eſt hoc: ille calor tamen non à motu principaliter corporeque Solari ignito & calido,

ſed

ſed à recondita eius & admirabili influentia dependet, cuius virtute & beneficio radios conduplicando, (quam conduplicationem refractionem Phyſici, Iuriſconſulti αὐτανάκλασιν ſeu repercuſſionem in l.17.§.2. ff.de ſeruit.vrb.præd. vocant) aëri infert calorem.

Conduplicatio autem illa infimâ regione aëris concluditur, nec intermedium tangit, quam perpetuo frigore rigere didicimus, Alpes ſublimia & ſuſpenſa loca id euincunt. Si itaq; ſimplicibus radijs è corpore calido procedentibus concalefaciendi vis ineſſet, & hyemale tempus calidum, & mediam regionem tali qualitate imbutam concederemus: aſt vtrumq; abſurdum eſt. Si verò radios Solares calidos intermediũ aërem penetrare ſtatuimus, tunc neceſſe erit, vt is radiorum calor aut iuſtam habeat cum frigore mediæ regionis proportionẽ, aut iniuſtam. Si iuſtam, perpetuum bellum & luctam in eadem ob duas contrarias qualitates ſe inuicem vincere nitentibus ſtatues: ſi iniuſtam, tunc aut regionem aëris mediam calidam, aut radios Solis penetrantes frigeſcere vincente potétiore contrario docebis. Ex quo poſteriore aliud abſurdum ſequetur, nempe in aëre infimo nouas calorem excitandi vires radios Solares acquirere. Vt itaq; has abſurditates vitemus, ſta-

tnendum est, conduplicationi radiorum solarium hanc inesse vim, vt prope terram calorem & æstum excitet, eandem non ex se, sed mirabili Solis influentia prope Zenith consistentis acquirat, aliàs cœlo nubibus obducto frigus in media æstate, vtpote cum negata caussa negetur & effectus, adfirmaremus.

Motu verò Solem non incalescere, certo certius est. Nam motus solaris corporumq; cœlestium talis non est, vt calorem corpori moto, vt in Luna & Saturno perspicuum est, possit inducere. Axioma ergo illud, Motu omnia incalescere, restringendum, & intra suos cancellos redigendum puto: siquidem id non de quolibet motu, quolibetq; corpore, sed de affricatione siue attritu, motu & iactatione partium corporis ex elementis constanti & conflati repentino locum habeat: Quæ autem affricatio? qui attritus? quę denique partium iactatio in cœlestibus corporibus est? Vanum itaque est hoc calefactionis dogma, cùm ipsa Physica eleganter sciat inter agentia cœlestia, & sub lunaria elementata distinguere. Quibus de caussis Solem, vt & reliqua astra, nec calida nec frigida ratione substantiæ aut motus existere, hanc tamen aptitudinem in se habere, vt prope terram calefaciant & infrigidẽt, neglecta interim Dedali, Icari, & Phaëthon-

chontis fabula, apparet. Quocirca corpori cœlesti ratione effectus, qui se in sublunaribus sensui nostro offert adscribitur qualitas non quod ea insit eidem per inhærentiam, sed quod talem caußet in aere. Iam verò, cùm naturaliter eueniat, vt qualem edi videamus effectum, talem & rem eadē qualitate instructam pronunciemus, abusiuè Astrologi ex effectu astri de qualitate eiusdē iudicant: quod licèt in sublunaribus tantùm vera ratio Physica patiatur, aliquatenus tamen æthereis corporibus respectu nostri quadrare videtur asserere Astrologia, in quo à Physica digredi, nisi ad eum modū discrepantia hæc, quem diximus, componatur, suprà monuimus. Etenim si Astrologi faterentur, hanc qualitatem per inhęrentiam inesse corpori Planetæ, concederēt & eiusdem alterationem, coagulatum præterea corpus ex elementis per quandam cōsequentiam assererent: quod quàm absurdū sit, nemo non videt. Verùm influentia Planetæ per habitudinem diuersam, quam habet ad Solem nō mutatur, aut alteratur sed effectus eiusdem vel adiuuatur, vel debilitatur. Debilitatur quidem semper à contraria caussa, eaq; vel vtraq;, vel altera tantum qualitate pugnante: confirmatur verò à simili. Adeò autem multum refert Planetam esse orientalem aut occidentalem, vt, qui

præcisè huius affectionis Planetarum abditos affectus ignorat, vix vnquam sibi quid de certitudine prognosticationum possit promittere.

Saturnus itaq; orientalis frigidus & humidus est, occidentalis verò siccitatem caussat.

Iupiter, si orientalis fuerit, calidus & humidus, occidentalis verò humidus est.

Mars orientalis caliditatem & siccitatem parit, occidentalis siccitatem generat.

Venus orientalis calida & humida, occidentalis humida existit.

Mercurius orientalis calidus, occidentalis verò siccus est.

Et hæc de orientalitate & occidentalitate Planetarum dicta sufficiant.

CAPVT XXXI.

De virtute & efficacia Planetarum quam obtinent in singulis duodecim signis Zodiaci.

PRo diuersitate constitutionis Planetæ diuersam eũdem in aërea regione obtinere vim agẽdi nemo est qui nesciat. Nec enim vbiq; eũdem, sed pro ratione signi & loci, nunc hunc nunc illum sortitur effectũ. Quod solers antiquitas diligenti ex obseruatione erutum succinctis inclusit axiomatibus,

tibus, quæ huic loco ideo destinauimus, vt generali cognitioni Astrologicorum fundamentorum instructus sedulus lector haberet, in quo ingenium suum vlterius iam ex superioribus exerceret. In superiore capite quidem effectus Occidentalitatis & Orientalitatis Planetarum tradidimus generaliores, hoc capite specialiores ex singulorũ signorum Zodiaci natura excerptas depromere, idq́; secundum ordinem signorum, diuersasq́; in iis Planetarum affectiones in animo est.

Saturnus itaque supremus omnium Planetarum in Ariete combustus, efficit tenebrosum aérem, elicit catharros, occidentalis producit frigidos ventos.

Saturnus in Tauro combustus, bonam aeris constitutionem, morbos tamen colli: occidentalis siccitatem, orientalis sanitatem: stationarius tonitrua & fulgura significat.

Saturnus in Geminis combustus siccitates: orientalis & occidentalis bonam complexionem, retrogradus morbos auget.

Saturnus in Cancro combustus tenebrosum aerem, ventos & mare minùs tranquillum significat.

Saturnus in Leone combustus efficit vẽtos & pluuias, stationarius siccitates, vt & occidentalis & orientalis creat.

Saturnus in Virgine combuſtus morbos, ſtationarius idem ſignificat.

Saturnus in Libra combuſtus dolores oculorum, occidentalis confuſionem aeris, orientalis frigidos ventos, ſtationarius quartanas febres & melancholicos morbos producit.

Saturnus in Scorpione ſub radiis Solis latens frigidos ventos, occidentalis frigus, orientalis flatus ſeptentrionales, ſtationarius tenebroſos efficit dies.

Saturnus in Sagittario ſub radiis Solis pluuias & nebulas, occidentalis ſiccitatem, orientalis frigus, ſtationarius morbos humanos cauſſat.

Saturnus combuſtus in Capricorno denotat meridionales ventos & nebuloſum aerem, occidentalis frigus, orientalis frigidos ventos ſeptentrionales, ſtationarius facit tenebroſum aerem.

Saturnus in Aquario ſub radiis frigidos ventos, occidentalis varium aerem, periculum in mari & fluminibus, orientalis pluuias, ſtationarius mediocrem aerem ſignificat.

Saturnus in Piſcibus ſub radiis latens nubes, occidentalis pluuias, orientalis bonam complexionem, ſtationarius verò mutationem aeris denotat.

Et talia operatur Saturnus.

Iupi-

Iupiter vero in Ariete combuſtus pluuias, occidentalis nebulas & rores, orientalis aerem ſerenum, ſtationarius abundantiam frumenti & ſanitatem portendit.

Iupiter in Tauro ſub radiis latens mediocrem aerem, occidentalis procellas, orientalis abundantiam ventorum, ſtationarius frumenti copiam deſignat.

Iupiter in Geminis combuſtus diſpoſitionem bonam, occidentalis ſanitatem, orientalis & ſtationarius idem ſignificat.

Iupiter in Cancro ſub radiis exiſtens trāquillum mare, occidentalis diſpoſitionem bonam, quam ſtationairus adauget.

Iupiter in Leone combuſtus leues auras, occidentalis *σύγξιαν* rerum, orientalis fortunam magnatibus, ſtationarius morbos adfert.

Iupiter in Virgine ſub radiis exiſtens augmentum frugum ob idoneam aeris temperiem, occidentalis vt & orientalis ſanitatem, ſtationarius lætitiam adfert, & exhilarat cor.

Iupiter in Libra combuſtus ſuauiſsimam auram, occidentalis & orientalis ſanitatem ſtationarius optimum & ſtabile tēpus pollicetur.

Iupiter in Scorpione combuſtus pluuias, orientalis & occidentalis augmentum rerum maximè Piſcium , ſtationarius tran-

quillitatem ſignificat.

Iupiter in Sagittario ſub radiis Solis latens diſpoſitionem rerum optimam, occidẽtalis pluuias, orientalis ſerenum aerem, ſtationarius fortunam hominibus ſignificat.

Iupiter in Capricorno combuſtus auram humidam, occidentalis pluuias, orientalis bonum ſtatum, ſtationarius tranquillitatem portendit aeris.

Iupiter in Aquario ſub radiis bonam diſpoſitionem, occidentalis pluuias, orientalis ſanitatem, ſtationarius efficit ſalubres pluuias.

Iupiter in Piſcibus combuſtus auget Piſces, occidentalis optimè diſponit aerem, orientalis ſæuum mare, ſanitatemq́;, ſtationarius malam diſpoſitionem arguit. Et hęc de Ioue.

Mars combuſtus in Ariete ſerenum aerem, occidentalis pluuias, orientalis turbationem aeris, ſtationarius fulgura & tonitrua ſignificat.

Mars in Tauro ſub radijs Solis latens tẽpus tranquillum, occidentalis ſerenum, orientalis ventoſum, ſtationarius ſiccum prædicit.

Mars in Geminis combuſtus efficit morbos, occidentalis calorem, orientalis rixas, ſtationarius calidam & ſiccam aeris conſtitutio-

tutionem significat.

Mars in Cancro combustus adustionem, occidentalis morbos, orientalis rixas, stationarius calidum & siccum aerem portendit.

Mars in Leone combustus morbos, occidentalis siccitatem, orientalis corruptionem rerum, stationarius morbos creat.

Mars in Virgine sub radiis morbos, occidentalis terrorem in hominibus, orientalis rixas, stationarius siccum aerem efficit.

Mars in Libra combustus aerem siccum, occidentalis pluuias, orientalis turbationem aeris & tonitrua, stationarius siccitatem auget.

Mars sub radijs Solis latens in Scorpione pluuias, occidentalis tranquillum aerem, orientalis ventos, stationarius tonitrua & fulgura significat.

Mars in Sagittario combustus siccitatem, occidentalis morbos, orientalis bella, stationarius rebus exitium minatur.

Mars in Capricarno adustus nebulas, orientalis siccitates, occidentalis calores, stationarius mediocrem aerem producit.

Mars in Aquario sub radiis Solis siccum aerem, occidentalis abundantiam ventorũ, orientalis idem, stationarius periculum nauigantibus minatur.

Mars in Piscibus combustus penuriam

piſcium, occidentalis ſiccitates, orientalis tonitrua, ſtationarius morbos pecorum & hominum creat.

Et hæc de Marte.

Venus combuſta in Ariete humiditatem, occidentalis ventos, orientalis tonitrua & pluuias, ſtationaria pluuias creat.

Venus ſub radiis Solis latens in Tauro tonitrua, occidentalis ſerenum tempus, orientalis συνεξίαν rerum, ſtationaria mediocritatem indicit.

Venus in Geminis combuſta ſiccitates, occidentalis ventos, orientalis idoneum tempus, ſtationaria mediocrem ſtatum ſignificat.

Venus in Cancro aduſta tranquillum tempus, occidentalis optimum aeris ſtatum, orientalis ſereniſſimum tempus creat.

Venus in Leone ſub radiis Solis ſiccitatem, occidentalis morbos iecoris, orientalis συνεξίαν, ſtationaria impedimenta mulieribus parit.

Venus in Virgine combuſta ſiccitates, occidentalis συνεξίαν, orientalis pluuias, ſtationaria impedimenta mulieribus creat.

Venus in Libra aduſta humiditates, occidentalis bonam complexionem, ſtationaria impedimenta mulieribus denunciat.

Venus in Scorpione ſub radiis Solis pluuias,

uias, occidentalis & orientalis idem significat.

Venus in Sagittario combusta pluuias, occidentalis frigus & ventos, orientalis συνέξιαν, stationaria mediocrem statum portendit.

Venus in Capricorno sub radiis Solis latens frigus, occidentalis idem, orientalis pluuias, stationaria mixtum tempus denotat.

Venus in Aquario combusta nebulas, occidentalis calorem, orientalis pluuias & nebulosum tempus, stationaria humiditatem creat.

Venus in Piscibus sub radiis Solis frigus, occidentalis niues & pluuias, orientalis rerum συνέξιαν, stationaria inconstantiam aeris promittit. Et hæc de Venere.

Mercurius autem combustus in Ariete tempestates, occidentalis optimam complexionem, orientalis serenum cœlum, communiter ventos pollicetur.

Mercurius combustus in Tauro tempestates, occidentalis συνέξιαν, orientalis humiditatem, rores & varium aërem portendit.

Mercurius in Geminis sub radiis latens Solis ventos, occidentalis optimam constitutionem, stationarius inconstantiam aeris arguit.

Mercurius in Cancro aduſtus tempeſtates in mari, occidentalis tranquillitatem, orientalis ſalubrem reddit aerem.

Mercurius in Leone combuſtus ventos, occidentalis ſuffocationem hominum, ſtationarius morbos humanos ſignificat.

Mercurius in Virgine aduſtus tempeſtates maris, occidentalis ſiccitates, orientalis humiditates, ſtationarius impedimenta mercurialibus adfert.

Mercurius in Libra ſub radiis Solis latens ventos, occidentalis bonam complexionem, orientalis humiditates, ſtationarius impedimenta creat.

Mercurius in Scorpione radiis ſolaribus inuolutus tempeſtates, occidentalis ſiccitates, orientalis pluuias, ſtationarius varium aerem denunciat.

Mercurius in Sagittario combuſtus pluuias, occidentalis ſiccitates, orientalis ſanitatem, ſtationarius impedimenta adfert.

Mercurius in Capricorno ſub radiis Solis latens pluuias, occidentalis idem, orientalis tenebras & obſcuritates, ſtationarius mutationem aeris ſignificat.

Mercurius in Aquario in coitu Solis niues, occidentalis frigus, orientalis pluuias, ſtationarius turbationem aeris deſignat.

Mercurius in Piſcibus aduſtus pluuias & cœlum inquietum, occidentalis optimam com-

complexionem, orientalis tranquillum aërem, stationarius mutationem aëris significat.

Et hæc de Mercurio dicta sint.

Verùm hęc nosse parum vtilitatis habere dicis, nisi & vsum scias, qui potissimùm in Astrologia attenditur. Vt itaq; & hac in parte tibi satisfiat, hæc præsupponenda erunt: Planetam nempe in aliquo signo constitutum qualitatem suam ac vim, quam inde haurit, non semper exercere, verùm tunc demum, quando eius virtus excitatur ab alio, vel potentiore, vel pari Planeta. Ast cùm mutatio omnis plerumque fiat secundum superiorem, ne sic quidem eius verè percipitur qualitas, sed necesse est hanc vim excitari ab inferiore, maximè verò Luna.

Superior ergo Planeta fortius ne agit terræ proximiore Planeta? quod ipsum tamen partim cum experientia, partim ipsa natura & ratione pugnare videtur: cum experientia quidem, dum Lunam proximiorem terræ ad sensum in hæc sublunaria elementaria, humores corporis, aquas, mare, plantas arbores &c. agere deprehendimus, nõ tam manifestè Saturnus, non tam efficaciter Iupiter, Mars, aut Sol: hic tamen magis quàm ille, ille verò vehementius quàm alter hæc elementaria corpora, has aëris regiones afficit. Rationi quidem directò obuiat eo ipso,

quod corpus cœleste propinquum fortius remotiore agat in subiectum suum adęquatum, cuius ratio est, quòd vis, siue virtus radij est intensior, magis integra & vegetior vbi à proximiore: imbecillior & remissior vbi à remotiore excipitur corpore, tale quid in agentibus naturalibus contingit, in quibus ob distantiam patientis vim actionis debilitari conspicimus. Et sanè ita videtur, aliud tamen nos vt statuamus edocuit & ratio ipsa & experientia. Axioma enim vult propinquiorem terræ Planetam efficaciùs, remotiorem remissiùs afficere elemẽtarem regionem, quod tamen simpliciter & citra omnem distinctionem acceptum falsissimum est: Nam Venus est propior Sole, fortius ergo agere quàm Solem consequeretur: sic à Mercurio & Luna superari virtute diceres, quod tamen vel ipse sensus refelleret: accedit quod eueniret, vt Planeta vi & efficacia influentiæ nobilioris alium Planetam inferiorem longissimis passibus superans vinceretur ab inferiore: quod ipsum natura negare videtur. Ast nobiliorem Planetam alio ratione influentiæ esse, ita manifestum est, vt nulla egeat probatione, cùm id non sacra Scriptura modò, verùm & ipsa testetur experientia. Etenim Sol & Luna quid vicissitudinis in anni statis temporibus non introducunt? illo annum, ejusq;

par-

partes, Ver, Æstatē, Autumnum & Hyemē accessu suo & recessu; hac verò menses cres-cendo & decrescendo describ ēte; illo mor-tem & interitum vniuersalem stirpibus & è terra nascentibus paucis exceptis ex frigo-re repullulantem, mox restitutionem vigo-ris pristini pollicente; hac verò æstus mode-rationem, frigorisq; intensionem, cohibiti-onem verò caloris conclusi ad cunctorum animantium fomentum & conseruationem promittente. Illum vniuersa elementaris regio, eaq; contenta sentiunt, hanc corpora humana humoribus maximè Phlegmaticis scatentia, nec Piscibus, nec deniq; ipso ma-ri excepto experiuntur. Ille nouus, nouam terram efficit, cunctis verò calorem imper-tit, hæc cùm vitæ fine humido æquabili non consistat, humidum moderatum affun dit, quibus duobus tota sustinetur natura: quid interim reliqui Planetarum? id certè quod figulus circa limum, eosdem humo-res alterando, resoluendo, restringendo, condensando, commouendo, placando, nunc huic, nunc illi applicati, diuersimodè elementatum corpus afficiunt: quod my-sterium qui dextrè percipit, exactissimus cuiuslibet morbi, eiusq; crisis euadit iudex. Itaq; cùm nullus sit Planetarum, qui magis humanæ naturæ infestus sit ac ipse Satur-nus, natura voluit, vt hic remotissimus es-

ſet, ne ſua nocenti frigiditate calorem natiuum, quo vita continetur, extingueret, cùm tamen ne ſic eiuſdem violentiæ obuiare poſſet, obiecit Iouem, qui ſuo temperato calore & humore ſiccitatem & frigiditatem Saturni temperaret, ne exploſo aut debilitato calore, humidum concreſceret, mox ſequi voluit Martem, qui calidus & ſiccus ab inferioribus Planetis humidis circa calorem & ſiccitatem deminutionem patitur. Huius enim ſiccitatem Venus mitigat, caliditatem verò modicam infrigidatione Luna temperat: quamuis ille ipſe congrediens cum aſteriſmis ſuę, Veneris aut Lunæ naturæ lacrymas profuſas effundat: quàm vehementer verò bilem concitet, caloremque æſtiuo maximè tempore aliorum teſtimonio adiutus accendat, non eget, ipſa ſatis experientia loquente, demonſtratione. Axioma itaq; non promiſcuè accipiēdum, verùm inter effectus diſtinguendum erit, qui vel proprij & à natura Planetæ cauſſantur, vel improprij & accidentarij ab accidēte externo dependent. De proprio & genuino influentiæ effectu axioma interpretandum, cùm accidentarius effectus plerumq; vincatur à ſuperiore. Accidentarium autem effectum eum voco, qui accidit Planetæ ratione ſitus in Zodiaco, aut aſpectus. Proprius ſiue eſſentialis eſt, quem ex ſe ipſo ſuę

maxi-

maximè naturæ conformem edit, quíque excitatur à ſimili. Verbi gratia. Mars vbi cũ Saturninis ſtellis, Ceto, Ophiucho occidit aut oritur, plerunq; pluuias, procellas, grandines, niues, aut etiam terræ motus cauſſat, qui effectus eſt accidentarius ex commixtione radiorum Saturni cauſſatus, eiuſque itaque natura, quæ calida & ſicca non quidem omnino opprimitur, ſed alteratur, inque frigidum concitatur effectum. Vbi verò cum Martialibus aut Solaribus occidit, fortiùs hac ſua qualitate genuina inſtructus agit, quàm Iupiter. In conflictu autem duorum Planetarum ſuperior, ſi modò dignitate par ſit, plerumque fortior ratione efficacis operationis euadit: nulla itaque, ſi penitiùs res conſideretur, axiomatum colliſio eſt. Alterum enim de duobus Planetis vnius efficaciæ & virtutis, alterum verò de duobus Planetis diuerſæ qualitatis interpretandum: illo caſu proximior Planeta ſemper efficacius in terreſtrem agit molem, hoc verò plerunq; ſecundum ſuperiorem contingit mutatio aëris: bellè ergo hac poſita diſtinctione inter illa conuenit.

Et hæc quidem de duorum axiomatum Aſtrologicorum colliſione apparenti, ſimulq; de affectione Planetarum in ſingulis Zodiaci partibus dicta ſufficiant, nunc tandem de aſpectuum Planetarum effectibus,

& hinc dependentibus meteoris dicemus pauca.

Capvt XXXII.

De effectu Syzygiarum Planetarum.

SVperiùs capite sexto de modo & ratione efficiendi aspectuum egimus: hoc verò capite, vt & de ipso effectu eorundem agamus, ordo videtur requirere. Etenim qualiter ortus & occasus syderum afficiant aerem, non modò theoricè in cap. 5. verùm & practicè in capite 17. diduximus: qua ratione verò aspectus mutet aërem, mox explicandum puto.

Ad cognitionem verò mutationis aëris discretio solers quatuor anni temporum & signorum cœlestium qualitatum multum conferre solet. Anni temporum sunt quatuor: Ver, quod calidum & humidum, complexioni sanguineæ adscribitur: Æstas, quæ calida & sicca, cholericæ complexioni congruit, Autumnus, qui frigidus & siccus melancholicæ accedit complexioni, & Hyems quæ frigida & humida, phlegmaticæ correspondet habitudini.

Signorũ qualitas quadruplex est: ignea, qualem Aries, Leo, & Sagittarius: aquatica, qualem Pisces, Cancer & Scorpius: aërea, qualem Gemini, Aquarius & Libra: & terrea, qualem Virgo, Taurus & Capricornus obti-

obtinet: De aſpectibus verò Planetarum hæc ſubſequentia generaliora axiomata præmiſſa ſpecialioribus obſeruentur.

Si Planetæ præcipuè calidi aſpexerint ſe vel coierint in ſignis igneis, ſuperfluitatem caloris & ſiccitatis in æſtate denotāt, in hyeme verò temperiem aëri inferūt, ad niueſq; procliue efficiūt tempus. E cōuerſo fiet, ſi in ſignis terreis frigidis talis contingat aſpectus: gelu namq; & niues in hyeme futuras pronunciant cum æſtatis temperie: Si in aëreis, frequentiam ventorum: ſi in aquaticis humidis, quàm plurimas pluuias, aërisque intemperiem in hyeme, caloris ac ęſtus temperamentum in ęſtate portendit: ſimiliter de cæteris, non neglectis ſtellarum fixarum influentiis, maximè earum, quæ prope Zodiacum ſunt, iudicandum erit. Nunc ſingularum Syzygiarum proprietates, & quidem primò Planetarum inter ſe, poſtmodum Planetarum cum Luna indagabimus.

Syzygiæ Saturni cum Planetis.

Coniunctio Saturni & Iouis accuratè notata per plures dies ante & poſt, propter tarditatem ſeiugationis eorundem, in ſignis igneis magnam ſiccitatem parit: in humidis verò continuas aquarum inundationes & particularia diluuia portendit: maxi-

mè, si horum aliquis cum Delphino, Orione, Arcturo, Hyadibus, Pleiadibus, similiq; asterismo aqueo oriatur aut occidat.

Saturni & Iouis Oppositio, Quadratus, Trigonus aut Sextilis in signis humidis grandium aëris mutationum caussa est, pluuias cum ventis & grandinibus per plures dies ante & post agendo: in aëre itidem magnæ apparent mutationes, cùm contigerit apertio valuarum siue portarum magnarũ: talem aperit Sextilis Saturni supra Solem: item Sextilis Iouis super Mercurium: item Sextil. Martis super Venerem: quod idem efficit Trigonus, & è contra. Hanc aëris qualitatem certò promittes, si tales Planetę cum martialibus asterismis oriantur aut occidant.

Coniunctio Saturni & Martis in signis humidis imbres generat, & pluuias cum grandinibus & tonitribus tribus diebus ante & post: eiusdem efficaciæ est radius oppositus, Quadratus, &c. horum Planetarum.

Coniunctio, Oppositio, vel Quadratus Saturni & Solis pluuias, grandines, & dies frigidas ante & post aliquot diebus gignit præcipuè in signis aquaticis, & est portarum validissima apertio. Efficacia verò huius configurationis tunc demum verè sentitur, quando Sol cum asterismo Saturni,

Mar-

Martis, aut Iouis oritur & occidit. In hyeme talis constellatio ad niues procliuis est.

Saturni & Veneris Oppositio, Coniunctio & Quadratus aspectus pluuias, imbres & frigora generant: idq; multò magis in signis aquaticis cum testimonio Lunæ ad prædictos aspectus.

Saturni & Mercurij oppositus, coniunctus, & quadratus radius in signis humidis pluuias, in siccis siccitatem caussabit. Vbi notandum, in hyeme ob has configurationes aliàs vbi alluxerit asterismus humidus niues, aliàs intensum frigus oboriri.

Syzygiæ Iouis.

Coniunctio, Oppositio, quilibet præterea radius Iouis & Martis in signis humidis tonitrua & coruscationes cum pluuiis, in signis calidis exustionem & calorem ingentem progenerat.

Iouis & Solis quilibet radius vehementes flatus ventorum pluuias expellentes producit: & si tunc temporis testimonium suum, vel capita Geminorum, vel Vultur cadens, vel Lucidæ Libræ, vel deniq; Lucida Coronæ non denegauerit, procellas & turbines prænunciabis.

Iouis & Veneris aspectus siue radius in humidis leues pluuias, & quidem hoc certiùs, si Lunæ testimonium per radium con-

iunctum, quadratum, aut oppositum accesserit: in signis verò aliis si coierint, vt plurimum serenitatem fieri indicant.

Iouis radius ad Mercurium ventos gignit & magnam caussat apertionem valuarum: quod tamen non promiscuè est accipiendum, verùm tunc demum, si eiusdem naturæ asterismus attestatus fuerit, qualis est Lucida Lancis Boreæ, similesq; stellæ, naturam tempestuosam & impetuosam obtinentes.

Syzygiæ Martis.

Radius Martis & Solis in signis igneis siccitatem, in aquaticis imbres, pluuias & tonitrua agit.

Martis radius ad Venerem in signis humidis pluuias generat, dummodò fiat apertio portarum statim. Considerandum hoc casu qualiter se habeant asterismi Martis & Lunæ ad hunc aspectum: qui, si etiam alij Planetæ, maximè verò his iuncti fuerint, largissimas effundunt pluuias. In hyeme producit niues hic aspectus.

Martis & Mercurij radius in signis calidis caliditatem, in siccis siccitatem, in aquaticis imbres designat, sub mansione aërea ventos mouere solet. Tempestuosus autem plerunq; hic aspectus est, æstate minans tonitrua, hyeme verò, si modò suis testibus non careat, ventos vehementes occidentales

les inſalubres, tepiditatem aëri pigram inferentes, German. Todtenwindt/elicit. Idem poſſunt aſteriſmi eius naturæ, cum quibus vel oritur & occidit.

Syzygiæ Solis.

Radius Solis & Veneris in ſignis humidis adiutus per aſteriſmos pluuias deſignat. Occidentalitas Veneris verò plerunq; ad ventos & pluuias vehementes inclinat.

Radius Solis & Mercurij in ſignis ventorum, Libra nempe, Geminis & Aquario, ventos producit, in ſignis humidis pluuias elicit. Mercurius combuſtus in ſignis aquaticis flatus repentinos cum imbribus edit. Cùm verò hi duo Planetæ perpetui ſint comites Solis, nec longius ab ipſo vel ſequentes vel præcedentes digrediantur, vix eſt, vt radio alio, quàm coniunƈto aſpiciant Solem.

Syzygiæ Veneris.

Radius Veneris & Mercurij in ſignis humidis, ni maleuoli impedimento fuerint, imbres pollicetur. Verùm vnuſquiſque horum aſpeƈtuum maiorem vim habet, cùm Luna eos coitu, quadrato, vel oppoſito aſpeƈtu aſpexerit, ſecundum ſignorum varias ac diuerſas affeƈtiones, manſionumq; Lunæ qualitates. Et hæc de aſpeƈtuum Planetarum effeƈtu: nunc de aſpeƈtu Planetarum ad Lunam agemus.

Syzygiæ Lunæ.

Radius Lunæ & Saturni in ſignis humidis facit diem nubiloſum & frigidum, ſecundum naturam ſigni, & ſi Luna deſcendens ex Quadrato Saturni Soli per Sextilem, Quadratum, vel Oppoſitum applicauerit ſe, apertionem portarum fieri experimento probatum eſt, & tunc aer magna & notabili mutatione afficitur, præcipuè ſi ſuperiores Planetæ inter ſe per Quadratum, Oppoſitum, aut etiam Sextilem ſua teſtimonia perhibuerint.

Radius Lunæ ad Iouem in Ariete & Scorpione albas nubes toto cœlo ſpargit, cui ſi Mars teſtimonium dederit, tonitrua & coruſcationes portenduntur. Poſt Coniunctionem horum Planetarum, ſi Luna ad Mercurium peruenerit, erit apertio portarum ventorum. Nec non Iouis & Lunæ Quadratura vel Oppoſitio ventos laxat. Verùm ſi Planetæ in motu tardiores ſuum nõ præſtiterint teſtimonium, huiuſmodi Coniunctio ſerenitatem parit. Serenitatis verò certum indicium quodnam ſit, ſuperiùs dictum eſt.

Radius Lunæ & Martis in ſignis humidis pluuias elicit, & ſi Luna à Marte ſegregata ad Venerem decurrerit, apertio portæ eſt ſuper Venerem, & è diuerſo. In ſignis igneis nubes croceas cœlo ſpargit, aliquando

do pluuias secum ducentes, præcipuè si ceteri Planetæ testimonium perhibuerint. In signis terreis in hyeme nubilosum aërem, frigidum & ferè pluuiosum reddit.

Hæc configuratio in hyeme plerunque tepiditatem aeri solet inducere : resoluit ergo frigus ventis occidentalibus calidioribus.

Radius Lunæ & Solis in signis humidis, Libra nimirum, Piscibus, Aquario, Geminis & Cancro, præsertim si sydus eius naturæ occidat aut oriatur, pluuias indicit, & si post eum congressum immediatè per Sextilem, Quadratum vel Oppositum ad Saturnum peruenerit, apertio portarum fiet.

Radius Lunæ & Veneris in humidis signis lentes & mites pluuias, cum frigore agit: cum ipsa abeũdo à Venere ad Martem per Sextilem, Quadratum vel Oppositum cucurrerit, apertio fiet portarum.

Radius Lunę & Mercurij in signis humidis imbres gignit, cùm ipsa Luna à Ioue discedens ad Mercurium venerit, porta ventorum erit, vt & de Ioue dictum supra: idq; eo magis, cùm Saturnus & Mars per Quadratum vel oppositum aspectum eidem congressui testimonia præbuerint.

In singulis itaq; Coniunctionibus Lunę cum Planetis radij ipsorum notentur, necnon configurationes stellarum fixarum se-

cundum earum affectiones. Cùm verò Luna sine vllo aspectu fuerit in signis & mansionibus humidis, pluuias nunciat. In his autem omnibus ac singulis naturas signorum ac mansionum Lunarium, temporumque anni diligenter considerare, operę prętium est.

Capvt XXXIII.

De transitu Planetarum per asterismos.

SÆpius transitus Planetarum, eiusq; efficaciæ fecimus in superioribus mētionem, ordo nūc videtur extorquere, vt quid ille sit, significet, quamq; efficaciam habeat breuiter moneamus. Transitus itaq; Planetæ tum contingit, quando Planeta præterit stellam fixam maximè proximiorē Zodiaco (vnitorum enim præcisè radiorum virtus est præstātior & fortior) qui magis proprio vocabulo & reliquorum Planetarum cōgressibus conuenienti Coniunctio appellari potest: huius effectus aliquando vehementissimus existit. Transiens itaq; Planeta id operatur in transitu, quod operaretur, si ei Planetæ iungeretur, qui eiusdem naturæ & influentiæ cum stella fixa est. Proximiorum & prętantiorum itaque stellarum & Zodiaco inclusarum naturas subiiciemus.

Cornu Arietis est de natura Martis.

Ocu-

Oculus Tauri Martis, ſecundum quoſdam & Veneris ſapit naturam.

Hyades martiales ſunt.

Pleiades Martiales & Lunares exiſtunt.

Capita Geminorum Martis ſortiuntur naturam.

Præſepe aut pectus Cancri Martis & Lunæ ſapit influentiam.

Aſelli Martis & Solis obtinent influentiam.

Dorſum & Cauda Leonis Saturni, Veneris, & parum Mercurij accedunt influentiæ.

Ceruix Leonis ſaturnina & parum martialis eſt.

Cor Leonis Iouiale & martiale eſt.

Spica Virginis naturam Veneris habens parum Mercurij accedit qualitati.

Lucidæ Lancis ſaturninam & mercurialem ſapiunt naturam.

Cor Scorpij martiale, parum Iouiale eſt.

Cauda Scorpij lunaris & martialis exiſtit.

Cetus naturæ Saturni eſt.

Vltima fuſionis Aquarij Saturni & Iouis imitatur naturam.

Humeri Orionis martiales & mercuriales ſunt.

Siniſter pes Orionis Iouis & Saturni naturam habet.

Canis maior de Iouis, parum verò de Martis natura participat.

Canis minor Mercurialis & Martialis est.

Crus Aquarij Mercuriale & Saturninum est.

Arcturus ad naturam Iouis & Martis accedit.

Mars itaque per Dorsum Leonis significat aërem nubilosum, imbres & ventos, & pro conditione temporum tonitrua, frequentesq́; pluuias.

Mars verò per Caudam Leonis, pluuiosam & ventosam tempestatem minatur.

Venus per Spicam Virginis, efficit aerem serenum & flatulentum. Similiter de aliis iudicandum. Hic tamen transitus solus & nudus citra ortus occasus aut aspectus testimonium, debilissimus est: vnde reliquis omnibus modis efficiendi & caussandi postponitur.

CAPVT XXXIIII.

De apertionibus valuarum.


IN speciali cognitione aereæ qualitatis hactenus versantibus videtur vnum adhuc deesse, vt nimirum dicamus de apertionibus valuarum, quibus Astrologi tam veteres quàm recentiores non minimum tribuunt. Apertio autem valuarum siue portarum est immediata accessio Lunæ digredientis à Planeta ad contrarium & ei oppositum. Etenim Planeta cui Luna iungitur, vel valido aspectu sociatur, dicitur aperire

por-

portam super illum, cui secundo se iungit & applicat. Ratio eius non est obscura, siquidem Luna copulata alteri, recipiat eius influentiæ impressionem, eamq; ad contrariũ & oppositum deferat, neutiquam mutata ab intermedio: vnde validam & sensibilem aëris mutationem contingere certum est.

Apertio hæc duplex est: alia enim est magnarum valuarum, alia portarum modò.

Magnarum valuarum apertionem & reserationem iam suprà definiuimus, eaq; fit digressione à valido Planeta, & accessione immediata ad contrariæ influentiæ Planetam. Quando itaq; Luna descendit à Coniunctione, Quadrato aut Opposito aspectu Solis, Iouis & Martis, ac vadit ad Saturnũ, Mercurium, vel Venerem, fit apertio valuarum magnarum. Etenim Sol Saturno, Iupiter Mercurio, Mars Veneri contrariam nactus naturam. Impossibile itaq; est, vt non maxima circa hæc tempora aspectuum sese exhibeat aëris vicissitudo, vel ad pluuias, vel frigus, vel ventos procliuis. Descriptionem ergo quandam huius apertionis subiiciemus.

Luna quando descendit à Quadrato, Opposito vel Coniuncto radio  & progreditur immediatè ad  vel è contrà, aperit valuã magnã.

Portarum verò apertio est aspectus ini-

micus duorum Planetarum contrariam naturam sibi vindicantium, vt Lunæ & Saturni, Solis & Saturni, Iouis & Mercurij, Martis & Veneris. Hactenus de modo, quo fiat apertio prælibauimus aliquid, nunc breuiter & de effectibus eorundem agemus.

Sol aperiens portam super Saturnum efficit tenebras, Mars super Venerem ventos elicit. Venus verò si super Martem referet portam, pluuias demittit æstate, in hyeme spargit niues largas. Mercurius super Iouē procreat ventorum pugnam & pluuias. Cōiunctio autem Solis & Saturni frigus parit, nebulas & grandines, idq; pro temporum diuersitate.

Et hæc quidem de apertionibus portarum & earundem effectibus Astrologorum tam veterum quàm recentiorum opinio. Verùm & validas valuarum apertiones fuisse, nullam autem exinde aeris turbationem secutam memini, cùm tamen has reserationes Astrologi validissimè aëri imprimere vicissitudinam testentur: quæ itaque caussa sit huius defectus, ancipites quærunt ferè omnes? Aut locum inidoneum, aut pertinaciorem qualitatem aeri iam impressam esse, quàm vt vinci posſit à noua, aut certè testimonij aliorum maximè validorum calculum denegari huic reserationi respon-

deo:

deo: quorum contemplatione totam contineri Aſtrologiam, ſuprà diximus.

Caput XXXV.

Num Aſtrologia in Chriſtiana Republica ſit docenda,

HActenus vidimus, quæ ſint veræ & genuinæ Aſtrologiæ pura ab omni ſuperſtitione aliena, ſolis in influentiis ſtellarum radices agentia principia: nunc verò & nobis dubia illa, & à multis in controuerſiam reuocata, diuque vexata quæſtio, Num Aſtrologia in Chriſtiana Republica ferenda ſit, attingenda potiùs, quàm tractãda erit. Eamq; in hunc locum reſeruandam ideo iudicaui, vt præceptis veræ Aſtrologię perceptis, de eius commodis vel incommodis, quæ Reipublicæ adferre ſolet, certiore & firmiore iudicio pronunciari poſſit. Nullus autem eſt, qui inficias ire poſſit, Aſtrologiam iudiciariam non omnibus modis, cùm ab Eccleſiaſticis canonibus, tum ſecularibus imperialibuſque ſanctionibus, ſacris deinde & diuinis decretis ſub comminatione ſupplicij extremi prohibitam, deteſtatam, & Orco deuotam eſſe. Moyſes enim nomotheta ille ſagaciſſimus ex inſpiratione diuina noluit quenquam ex populo Iſraelitico Deo conſecrato Aſtrologiam ſiue Magiam exercere, ne iiſdem pollutio-

num cum gentibus aliis nexibus inuolutus periret, & è medio sui populi tolleretur. Huius artis magistris & doctoribus insultat Isaias, tanquam deceptoribus, hominibusque fallacibus, eosq; execratur. Hos ἀπόλιδας reddit Tiberius, morte multat Constantius, quem secutus Imperator laudatissimus Carolus Quintus morti eosdem destinat, & mactandos censet: Quid de Paparum Conciliorumq; decretis dicam? quorum Toletanum syderum cursum, Lunæ motum obseruare, domos erigere vetat: contra facientem é sacra communione expellit, Sathanęque dilacerandum & dilaniandum obiicit. Quid autem quæso frequentiùs apud Astrologos, quàm domorum erectio, quàm dierum pro opere faciendo superstitiosa, vt videtur, electio; quàm obseruatio Lunæ motus in incidendis venis, lignis, plantis, arboribus, pecoribus, &c. hæc omnia faciunt Astrologi, perpetranturq; ab Astrologiæ Professoribus. Si Rempublicam respicias, mentiuntur, arteq; hac tanquam velamento mendaciorum vtuntur: hac eadem vestiunt, palliant, & quibuslibet obtrudunt: hac superstitiosi redduntur ciues: insultant Imperatoribus, sibi genesin imperatoriam promittentes: spoliant insuper huius artis Professores credulos & simplices subditos, dum ipsis, vel furem, vel casum

sum fortuitum referant, fortunam insuper secundam, reiq; familiaris augmentum pollicentur; loculos eorum emungunt, & pecunias aucupantur, hosq; miseros vana lactatos spe ad inopiam & segnitiorem rei familiaris dispensationem deducunt: ciuitatiq; demùm ipsi & Reipublicæ illudunt, dum eam commodis, quæ perceptura esset ex diuite & fortunato ciue, priuant. Ferendane itaque ars, publiceque docenda, quæ grauiter in pręcepta diuina sanctissima impingit? quę excommunicatione ecclesiastica exercentem dignum reddit? cuius exercitium Reipublicæ exitium est, eamque & œconomias concutit, funditusq; euertit? Minimè certè videtur, si legum diuinarum colentium & admirantium: secularium verò obseruatorum diligentissimorum nomen & laudem deportare nitamur: Etenim tu ne ferres eum, quem lex diuina è suo populo eiiciendum toties, tanta cum seueritate præcipiat? Tolerares ne eum, quem Canones Ecclesiastici & Decreta Cõciliorum anathematis fulmine percutiunt? tectone tuo & hospitio dignareris illum, quem leges humanæ imperiales sanctę, vniuersumque Romanum Imperium execratur & orco deuouet? dignus certè, qui ipse receptatoris (sine quo crimen diu latere nõ potest) pœnam sustineres. Demum si ipsam artem

reſpicias, quid quæſo certitudinis, quid veritatis habet? nihil certè: ficta omnia, præſertim in iudiciis genethliacis, & mendaciis artificioſè inſtructa experieris. Ferendane ergo non modò Reipublicæ nocentiſsima, ſed etiam incerta, mendaciorumq; machinatrix ars? hæcne fallax & mendax ſcientia dignāda publica & honorifica profeſsione? cuius merces eſt gladij pœna, anathematis fulmen, & excommunicatio eccleſiaſtica eſt præmium: cuius Profeſſorum commercium ciuitati & Politiæ minatur extremum & vltimum exitium. Hæc certè & ſimilia dum mentem cordati hominis ſubeunt, conſcientiam exercent, eamq; ad condemnationem, improbationemq; huius nobiliſsimæ & ſanctiſsimę ſcientiæ impellunt & vrgent. Verùm ſi rem penitiùs introſpexerimus, aliam in ſententiam nos trahi patiemur. Reipublicæ quidem quàm maximè intereſſe omnes Politici fatentur, vt ciues ſe quàm optimè habeant, œconomiæque priuatæ gnauiter & ſolerter adminiſtrentur: niſi enim ſinguli ſe bene habeant, quo quæſo modo vniuerſi optimè ſe habebunt, cùm vniuerſitas per ſingulorum coadunationem conſtituatur. Verùm enim uerò ſingulorum σωτηρίαν Aſtrologus verus & genuinus ſincero & recto animo ſitit, eamque quantum in ſe, amore erga Rempublicam

eam ductus procurat. Hoc verò tunc maximè assecutus esse sibi videtur, quando non modò patrisfamiliâs personam saluam cōstituit, verùm & rei familiaris incremētum, solertisq; administrationis œconomicæ tēpus demonstrat. Illud in corporis & cuticulæ curatione matura, hoc in conuenienti & opportuna electione temporis consistit. Curari verò corpus ideo vult, vt vel sanitas pristina & σὐεξία conseruetur, morborumq; moles arceatur & euitetur, quid Varroni têmpore pestis sæuissimæ vsui & saluti toti eius familiæ fuisse historiæ testantur, vel vt amissa illegitima diæta, aut corrupto aeris ex afflatu sanitas recuperetur. Id tempus curandi immaturum indicando, hoc verò idoneum purgando corpori obseruando consequitur. Rem familiarem adiuuat eo ipso, quod electiones conuenientes, tempusque aptum præcipuis operibus œconomicis, agriculturæ, putationi vitium, arborum, plantationi herbarum, plantarum præscribit & definit. Huic non obstant nec sacri Canones, nec seculares constitutiones, siquidem illi de abusu non vsu meritò intelligi debeant, ne absurdus intellectus ex hac interpretatione consequatur. Cùm itaque verus Astrologus nullis superstitionibus, sed veris stellarum influentiis in sublunaria manifestè agentibus nitatur, caussamque

Deum primò mouentem non modò fateatur, sed etiam piè præsupponat: veritatis scopum in suis prognosticationibus assequi licito tamen probatoq; modo, summoperè studeat: Reipublicæ verò vtilitatis auidissimus sit, & ciuium commodum, incrementumque rei familiaris sitiat, quis tanta plus quàm ferina stupiditate & inhumanitate præditus, hunc de Republica bene meritum ciuem è limitibus communionis Politicæ eiiceret & proscriberet impiè? nullus hercule est, qui de tanto facinore vel cogitaret: nec repugnat hæc scientia diuinæ paginæ, cùm vera Astrologia quicquam superstitionis non ferat, imò ad hanc ipsam videtur Deus Ter Opt. Max. hominem inuitare, dum Abrahamo stellas commonstrans easdem numerare iubet, & Christi Saluatoris mundi, filij sui dilecti natales stella noua notare voluit, tantum abest, vt hanc vetet. Quis idcirco tam atheus est, & alienus ab omni cognitione diuina, qui non, dum hunc elegantem corporum cœlestium concentum, naturaliumq; caussarum ordinem & dependentiam pulcherrimam conspicit, in quandam cognitionem Dei almipotentis, sapientiæq; eius rapiatur? Hunc autem concẽtum & ordinem nonne Astrologia scrutatur & inquirit, eoque fundatur. Censeresne ergo auferendam è medio sciẽtiam,

tiam, per quam ad diuinę maieſtatis cognitionem nonnunquam impiiſsimi omnium perueniunt. Cùm enim natura humana in quærenda prima cauſſa in primis curioſa ſit, cœleſtibus corporibus, eorumq́ue influentiis non acquieſcit, verùm & horum creationem, principium & cauſſam primam, Iehouam nimirum cognoſcere deſiderat. Abſit ergo, vt Deus ipſe improbet id, per quod infideles in ſui amorem & cognitionē nonnunquam rapit. Sit certé, quoſdam Aſtrologorum mentiri, emungere loculos, pecunias aucupari, nonnullos ſimplicitate captos decipere, deceptos bonis & facultatibus exuere : aſt hi veri Aſtrologi neutiquam ſunt, eſſe tamen apparent, iidem illi quibus ſacra Decreta ſupplicium, Canones eccleſiaſtici & Decreta Conciliorum excommunicationem, ſeculares verò ſanctiones mortem minantur: omnibus enim modis, vt ipſos Magos, expellendos cenſet omnis ętas. Hic tamen impoſtorum & fallacium hominum chorus neutiquam tantum valebit apud prudentiſsimum & perſpicacem magiſtratum, vt virum bonum, licitis præceptis nec religioni, nec politicæ conuerſationi contrariis incumbentem, de Reipublicæ ſalute & σωτηρίᾳ ſollicitum expellat & eiiciat, multò verò minùs internecioni deſtinet. Ea itaq; & apud probos ſuam auctoritatem

obtinet, liberalibuſq; artibus non immeritò hactenus contenta & concluſa eſt. Chriſtiano ergo homini non vtilis modò, ſed & pernecessaria exiſtit, hanc enucleando immenſam ſapientiam, prudentiamq; ſummi illius Architecti & Creatoris admiratur, in eius laudem & admirationem inuitatur & rapitur. Qui ſi eius veram aſſecutus fuerit cognitionem, alios in laudem diuini nominis ſocios adſciſcit, eo quod is tantam largiri gratiam & illuſtrationem Spiritus ſancti homini dignatus ſit, vt ad hanc reconditam virium cœleſtium, influentiamq; corporum æthereorum peruenire potuerit indagationem.

Quali verò fauore hunc amplectatur Reſpublica, conſtat: ſi enim hunc ferendum iura imperialia cenſeant, qui illicitis & improbatis excantationibus hominibus benefaciunt: quanto magis fouendus is, qui licita & pietati Chriſtianæ non aduerſante ratione non vni, ſed pluribus hominibus benefacere ſtudet & operam impendit. Inquit enim Imperator Conſtantinus in l.4. C. de Malef. & Mathem. Nullis verò criminibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandinoſaque lapidatione quaterentur,

qui-

quibus non cuiusquam salus aut æstimatio læderetur, sed quorum perficerent actus, ne diuina munera & labores hominum sternerentur: quod tamen eloquium in Christiano Principe meritò admirandum est: non enim malè agendum, vt eueniant bona: Quanta autem cum idololatria & horrendo Diaboli cultu excantationes illæ coniunctæ sint, hinc apparet, quod imbres & grandinis ventorumque impetuositates auertere conantur homines, quod non humani, sed diabolica arte instructi ingenij est: Interim quæso quid commodi Reipublicæ & ciuibus aduehunt homines illi, qui tam illicita arte vtilitati ciuium inuigilant? plus certè detrimenti & certi exitij minantur, dum horum beneficio & ministerio Diabolus, antiquus ille serpens animabus hominum, huic arti confidentium, eamque admirantium & colentium insidiatur, & hac tanquam esca & illecebris capit, captos trucidat & enecat. Quàm verò bella vtilitate potietur Respublica, si ciues suos omnes mancipia Diaboli, detestandaque superstitione & idololatria captos videbit: quantum ergo anima hominis corpori pręstat, tantum salus animæ saluti corpori pręponderare debet. Sed hæc plerumq; amore nummi negligitur, occupandaque vltrò ab hominibus obtruditur hosti generis hu-

mani, ſi modò ſuæ cupiditati & auaritiæ ſatisfiat, quocunq; demum loco, conditione & ſtatu anima miſera ſit eius, quam Deus tam impēsè amauit, vt eam redimere Christi ſui morte dignatus ſit: verùm plerunque noſtro nos gladio iugulati miſerè perimus: & tales quidem Conſtantino Imperatori probata ars magica effectus edit, quos ipſos tamen vera Aſtrologia hominis mentem ad aſsiduam Creatoris, eiuſq; beneficentiæ conſiderationem & contemplationem inuitando, & quaſi calcaribus ſubditis concitando, auerſatur. Huic enim nil cum excantationibus & idololatria negotij eſt, nullam denique fouet ſuperſtitionem, omnia Chriſtiana, ſancta, vera & firma eius precepta, modò ab omnibus dextrè intelligātur, reuera apparent. Ex quibus intrepidè concludimus, Aſtrologiam veram non modò ferendam in Chriſtiana Republica, verùm etiam amplectendam, publicaq; Profeſsione dignandam non iniuriâ eſſe: Cùm nec religioni orthodoxæ, cuius integritas reſpicienda maximè, nec publicæ tranquillitati, cuius conſeruandæ gratia nihil non pati debet, nec vtilitati priuatorum, nec denique ipſi honeſtati aduerſetur: ſed horum omnium dotibus adornetur, horum partim cauſſa exiſtat, partim verò in ſui ſocietatem neceſſariò adſciſcat: nullus itaque

veri-

veritatis amantissimus hac in parte hisce probè pensitatis, & ad trutinam reuocatis, huic nobilissimæ arti calculum suum denegabit: verùm hanc, quantum in se est, vt ingenuam & omnibus perutilissimam disciplinam, fouebit & adiuuabit.

CAPVT XXXVI.

An Medico & Chirurgo sit vtile scire & nosse Astrologiam.

IAm suprà in cap. de electionibus de hac quæstione quid ego, quid plerique Medicorum præstantissimi sentirent, exposui: sed cùm frustrà forsitan pertinacibus & obstinatis eò loci susceperim prouinciam, hoc capitulum ei rei totum dedicare & consecrare placuit.

Expeditum verò est tam nobilissimam artem passim Medicorum certè plerorumque (proh dolor) pedibus conculcari, despici, & curationi morborum inutilem iudicari: verùm enimuerò quæ incognitæ artis contemptus ratio? non certè incertitudo, non superstitio, qua veram carere exposuimus suprà: quid itaque? inscitia herculè & ignorantia tam laudabilis & ab omnibus maximis Medicis in maximo precio habitæ artis est. Cùm enim ea tantæ sit præstantiæ & subtilitatis, vt & immensum la-

borem & ingenium non vulgare requirere videatur, nemo ferè est qui huic studio operam impendat, ob eamque caussam desertum & incultum iacet. Verùm quid quæso laudis in somno & otio existimas positum? an nescis Deum omnia laboribus habere venalia? quid accusas ingenium, quod si non exerceas torpet? misera certè res, miserè nobis cum & in eo actum, quod plerumque otium labori, vitium virtuti præferamus, memoriamq; nostram vnà cum corpore occidere expetamus. Etenim homini semper enitendum est, vt quàm proximè ad vitam cœlestem accedat: quod non contemplatione terrestrium, verùm consideratione & speculatione cœlestium assequetur. Ast ne multum vagemur, Medico cognitionem virtutis & influẽtiarum astrorum tam necessariam esse, vt citra hanc, quamuis temerè potiùs tẽtare curationem, quàm peragere videatur, certum sit: ex his enim non raro caussa morborum, quæ plerosq; etiam celeberrimos in arte medica latet, venabitur? Nam cùm humores in humano corpore sese habeant ad modum aëris ambientis, eiusq; inhærentes qualitates: his verò constet corpus, temperamentumq; mixti contineatur, secũdum cuius mixturam corpus vel sanum vel ægrum est: ea verò aëris ambientis qualitas dependeat ab astrorum in-

fluen-

fluentiæ varia dispositione, mixtione, vnione, quis non Medico astra contemplanda esse, quis non Chirurgo stellarum configurationes enucleandas, motum, incrementum & decrementum Lunæ considerandũ sobrié dicet? Morbos ab astris dependere secundariò, vt nihil de peste dicam, huius anni 1605. si reliquorum deesset experientia, popularis febris tertiana spuria coarguit, quæ in multis locis adeò grassata est, vt miraculo haberetur is, cui tam pertinax morbus pepercerit, tu ne anniuersariam eã dices febrim? an ne ergo temeré & forte fortuna irrepsisse statues? quod hominis non esset, sed athei, qui omnia temerarie & cæco ductu contingere, & citra rationem certam euenire fatetur. Necesse itaque erit, caussam huius morbi in aerem, eiusq; qualitatem reiicere, eandemque accusare, cùm eo anno sub finem Aprilis ob Martis cum Syrio occasum tantus ęstus exarserat, vt bile mirum in modum accensa eandem folliculum suum egredi compulerit. Etenim Mars & in concitanda bile, & generanda febre ardente fœlicissimus est, quod satis superq; diuturna Medicorum & Astrologorum probauit experientia.

Quid de dysenteria proferam, quam neutiquam anniuersariam esse, cogit nos fateri experientia; ea nunc grassatur, modò eius

ne minimum apparet vestigium. Sed quæ huius ratio? eadem certé aereæ qualitatis vicissitudo, quæ cùm non semper eadem, non mirum, si non eodem modo eundem semper producat effectum. Et certé nullus non popularis morbus est, qui naturaliter immittitur, cuius principium & semina ex astris petenda non sint. Vnde Hippocrates ad explorandam morbi cuiusq; naturam, & ad euentum prænoscẽdum, iubet tum temporis cõditionem, tum verò epidimiorum morborum impetum animaduertere, duas plané diuersas caussas designans, temporis conditionem, latẽtem tacitumq; impetum, morbos quoque ex illis prodeuntes diuersos. Quicunque celebres popularis pleuritidis, aliorumq; dyssenteriæ morborum, qui grassantur in vulgus, naturam & curationẽ literis mandarunt, eos certé quàm eiusdem cognominis dispersos multò perniciosiores notarunt, quasi tanta tamq; communis caussa perniciei expers esse nequeat; sydera vt pestilentes, ita & aliàs interdum minus perniciosas, easque occultas excitant qualitates, quæ sunt epidimiorum morborum caussæ. Proinde Fernelius in lib. 2. de abditis rerum causis refert, se in quendam incidisse Medicum prudentissimum, qui ad febrium populariumque morborum curationem selectas antidotos diligenti syde-
rum

um obſeruatione adhiberet cum magna omnium admiratione.

Quocirca mirum non eſt, tot Medicorum medicationes tam ſiniſtrè ſuccedere, pleroſq; iis immaturius adhibitis exſpirare, animamq́; efflare.

Sed nec aſtrorum cognitio à Chirurgis negligenda, verùm ſalutis humanæ conſeruandæ gratia ſeriò amplectenda eſt: cùm ea in phlebotomia, inciſione membri, aut aduſtione inſignem habeat vtilitatem. Ea docet, quibus temporibus medicamenta humoribus corporis minimè concitatis dari, quibus diebus venæ ſectioni congruentes ſint: in ſumma eorum quæ ad incolumitatē corporis humani pertinere videntur, nihil intactum relinquit. Quoties enim experti ſumus ex immatura venę ſectione cum omnium admiratione quoſdam incautiores expiraſſe? quoties animaduertimus inciſionem membri, eiuſq́; aduionem in diebus Canicularibus, aut aliàs tempore ortus Solis cum ſtellis calidis exitiabilem fuiſſe? An non, ſi Luna aſteriſmum Arietis percurrente, caput vel lauationibus, vel inciſionibus oneraueris, mox inteſtinum eius ſentis dolorem? An non ſi nocturno tempore dormientis caput radiis lunaribus expoſueris, immenſos tactus ille cœleſtis procreat cruciatus? it reuera eſt ipſa experientia teſte.

Huius verò caussam & in qualitate aëris circumfusi,& ipsa influentia Lunæ collocabis. Quocirca & ad Lunam morbos decrescere, vel incrementum sumere, præsertim verò eandem plenam infirmis exitium minari: (res certè admirabilis) in furibundis verò & rabidis Luna silente & furorem silere sentimus, qui ipse cum lumine Lunæ crescit, donec integritati restituatur, postquam verò eadem decreuerit, & hunc non nihil, sensim tamen remitti videbis, donec omni penitus lumine diminuto furor delitescat. Idem in mulieribus menstruo laborantibus contingit, quas pro ratione augmẽtationis luminis Lunaris euacuatio hęc diuersimodè corripit & inuadit.

Ast nonnullis hæc res videtur contemnenda, præsertim verò à Chirurgis negligitur, qui nescio qua inhumanitate ducti, id quod in planta & herba tentare multo minus experiri dedignantur, in corpore humano ac vero microcosmo temerario ausu & patrant & conficiunt. Proh deum, quantum facinus, quantum scelus ab his committitur, qui ex solo artis incognitæ contemptu nefario vitam hominis in discrimen adducunt, fidem fallunt, Rempublicam verò ciuibus spoliant, ac tandem suam conscientiam aggrauant, cuius immodicum põdus eosdem ad tartara vsq; demerget. An non

Chi-

Chirurge, quiſquis es, tibi humorum corporis effecti habitudo, ſi vulnus methodicè curari velis, perſpecta imprimis eſſe debet? quod non negabitur, cùm pleriq; Medicorum hoc in omni morbi curatione primum eſſe velint: Iam & expeditum eſt, humores corporis ſeſe pro ratione influentiarum aſtrorum diuerſimodè habere, his alterari, mutari & degenerare eoſdem impellentibus iiſdem. Etenim vbi Mars combuſtus in æſtate aut fine veris ſe offerat, quis eſt, qui non ſanguinem condenſari, puſtulas, aliaq; cutis vitia hinc oriri & cauſſari proſpiciat? nullus certè niſi ambobus captus oculis. Nonne vulnus inflictum ferro tempore calidiſsimo aut frigidiſsimo plerunq; inſanabile eſt? an non præterea caſtratio aut inciſio animalis Luna in orbem creſcēte exitioſa eſt, confluentibus ad vulnus humoribus curationem promptam recuſantibus, adferentibus verò certò putrefactionem, niſi Luna tunc temporis optimè diſpoſita ſit? Non dicam quod multi morborum tam apertè ad Lunæ lumen dirigantur, vt fatui potiùs quàm ſapientis eſſet aliam, quàm influentiam corporum cœleſtium aſsignare cauſſam: Ita vaſtiſsimum illud mare ad ſolius Lunæ motum vehementiſsimè concitatur, vt pro eius ſtatione vel intumeſcat, vel reſideat. Ad ſimilem modum vbi Lunā

aſcendente in circulo ſumuntur medicamenta, plerunq; per vomitionem eiiciuntur: eius temporis ſata omnia minimum radicis, multum verò herbę extra terram germinantis adipiſci videmus: quod & hortulanus quilibet prudens neutiquam negligendum ſentit, qui idem, ſi cognito temperamento plantæ, aerem ex ſyderum poſitu minimè aptum plantationi eiuſdem prouideat, (non enim plantæ quælibet temporis quadrat qualitas) vel copiam, vel caritatem & prouentuum exilitatem ſpondere poterit: quod ipſi Thaleti Mileſio ipſo Ariſtotele lib.1. Politicorum teſte vſui fuiſſe certum eſt. Quocirca nec omni complexioni humanæ omnem congruere aëris habitudinē aſſerimus, quod vt certum eſt, ita præuiſum de morbis popularibus ſtatim certum præbet iudicium: quibus Medicus vel præcauendo, vel repellendo eoſdem, dextrè, vtpote iam præcognita ipſorum qualitate, occurrere poteſt. In qualitate verò aërishoc ſolers medicus notat, quod ſemper complexio ſibi contrariam adamet aeris temperiem, qua foueatur & conſeruetur. Calidum enim ſiccisſimumq; tempus choleram vehementer incendit, morboſq; hinc deſcendentes promittit certò, conueniens verò idem phlegmati eſt, qua de cauſſa idem morbus non omnes promiſcuè inuadit, quod

qui-

uidem hactenus verum eſt in morbis viru-
entiam nullam continentibus. Etenim vbi
enenata quædam humorum eſt infectio,
ulla complexio priuilegiata eſt, ſed paſſim
uem malum corripuerit, ſiue cholericus,
hlegmaticus, ſanguineus, aut melancho-
icus ſit, proſternitur, id modo diuerſitate
omplexionum operante, vt aliam diffici-
ius, citius aliam inuadat malum. In genere
erò ſanguineus virulẽtæ infectioni magis
ſt obnoxius : cuius ratio hinc deſumitur,
uod ea purior ſubſtantia & temperamen-
o exiſtat, facilè turbetur & inuaſionem ad-
nittat: Cuius rei effigiem quandam in ar-
gento & hydragyro deprehendemus. Illud
tenim aptum eſt ad formam ſuſcipiendam
& aptandam, hoc verò, vt manus artificis, i-
a penitùs omnem formæ inductionem fu-
git, priùs itaq; ſumma cum arte, in quo vni-
uerſa Alcumiſtarum à multis iam ſeculis
anxiè, aſt fruſtrà laborat ſchola, fixum & ſo-
lidum reddi debet, poſtea vero vbi manus
videtur pati, formæ inductio tentanda. Si-
militer in eo quod turbidum iam eſt, turba-
tio inſequens non facilè animaduertitur,
cùm natura ita comparatum ſit, vt agens tũc
validiſsimum ſit, vbi in contrarium incide-
rit, quod in frigore & aqua calida Ariſtote-
les experientia teſte in Phyſicis demon-
ſtrat. Ita & intemperies complexionis in-

uasionem mali nonnihil videtur retardare, donec tandem corrupto humore vincente malum præceps ruat in hominem. Quod quidem ita in venenatis se habet morborum inuasionibus, in aliorum procreatione secùs esse hodiernus dies edocet. Verùm de hac re hæc dixisse sufficiat, Medicorũ scholæ relinquenda cætera, quorum Professio morborum diligentem inspectionem, conuenientemq; curationem exigit & vrget.

Cùm itaq; tantam vim & energiam cœlestia corpora in humores corporum, denique ipsa inanima habeant, quis Medicorum est, qui non hanc diuinissimam scientiam astrorum vim ingenuè excutientem sibi propositoq; suo perutilissimam ducat? Vt itaq; nullus in egregium euadit Medicum, qui Physices non habet cognitionem exactam: ita nisi ipsam Astrologiã edoctus, quæ ipsa videtur pars præstans naturalis scientiæ esse, Medicus parùm dextrè, sed cæca intentione quamlibet suscipit curationem. Quod vtinam à multis mecum altiùs consideretur & perpenderetur, quàm benè cum ægris, quàm optimè cum familiis amplissimis, meliùs tamen cum ipsa Republica ageretur, cui plerunq; boni & præstantissimi ciues immatura medicamentorum adhibitione subtrahuntur, deteriores certè sicariis, in quorum odium & terrorem

lex

lex Cornelia lata est, existunt, quod nominis tamen absit à bonis, doctis & eruditis Medicis, qui publica censura & testimonio approbati, curandi facultatem & copiam ab his, qui eam concedendi amplam receperunt potestatem adepti, laude potiùs & præmiis, quàm reprehensionibus prosequendi sint, cùm verosimile non sit eosdem citra artis huius auxilium tanta egregia doctæ artis specimina edere.

CAPVT XXXVII.

Num Magistratui, Iurisconsulto, & Theologo conducat callere Astrologiam.

ELeganter sanè, nec non sanctè sacratissimus Imperator Iustinianus in Nouella 82. in principio asserit: maximum non vitium esse Reipublicæ eis, qui ex se quid agendum sit sciunt, lites tradere, sed sinere eos quærere alios, à quibus liceat discere, quæ eos in iudicando eloqui deceat; quod quidem ille de iudicibus, nec cingulum habentibus, nec circa latus Imperatoris occupatis profert Iustinianus, quoniam multi detenti curis, quas apud Imperatorem habent, meritò iudiciorum complent partem per suorum præsentiam assessorum: de omnibus tamen iudicibus Pedaneis, aut ex ordine Iurisperitorum adsumptis dici potest,

Etenim magistratus Romani plerunque erant viri militares ex nobiliori familia quadam, qui arma potiùs quàm leges sciant, electi: quod & interpretes Græci ad l.2.ff. quod quisque iur. notatum posteris his verbis reliquerunt: πολλάκις οἱ ἄρχοντες ἤτοι οἱ τῶν δικαστηρίων προκαθήμενοι οὐκ ἴσασιν ἀκριβῶς τοὺς νόμους, προβαλλόμενοι οὐχὶ διὰ τὸ καλῶς εἰδέναι τοὺς νόμους, ἀλλὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν περὶ τὸν βασιλέα ἢ πίστιν, ἢ συγγενίαν. quod Cuiacius & hodie seruari dicit in his, qui Baiuli, vt loquuntur, vel Seneschalli promouentur. Verùm hic magistratus vtebatur adsessoribus, ita eueniebat, vt quicquid decerneret, id ex assessoris promptuario consiliorum proferret, ipso etiam adsessore subministrãte verba, Seneca teste, qui in libello de tranquillitate animi, id his verbis indicat. Qui inter peregrinos & ciues aut vrbanus Prætor adeuntibus adsessoris verba pronnnciat. Proinde & ij ex Iurisperitorum aut studiosorum numero adsumi solebant, præstabantq; vt est in Nouel. 82. scientiam πείρας καὶ νόμων. Et certè nil elegantiùs, nil vtiliùs & præstantiùs, quàm scientia iuris ciuilis florere eum, cui præfectura iudicialis caussarum forensium commissa & concredita est, cuius κριτήριον quoddam à natura insitum habet.

Nemo verò nescit Astrologiam non passim pedibus Nomothetarum conculcatam & da-

& damnatam esse: nemo ignorat eandem à sacris Canonibus pro illicita & intolerabili arte reputatam: hæc vt à Iudicibus tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis puniatur, reprehendatur, vetetur, improbeturq; rationis esse summæ: verùm quæ sit illa ars, quinam illi artifices, qui puniri debeant, passim videas & Iudices plerosque, & Theologos ignorare: hac ipsa ignorantia ducti, aut planè non insultant improbæ artis Professoribus, aut eosdem, omni penitùs sobria discretione posthabita, condemnant & orco deuouent. Hac via videntur Imperatores Constantius & Constantinus, Tiberius alijq; Romanæ aulæ proceres ingressi: huic insistere Augustinum & Canones, qui verba Scripturæ simpliciter absq; omni limitatione accepta minùs dextrè interpretati sunt. Verùm hodierno die atrocitati & nimiæ sæuitiæ adscribitur, si in impostores Astrologorum nomen abutentes iusta & ęquissima pœna animaduertatur. An non passim Alcumistæ impostores illi, Reipublicæ nimis infensi internecioni à laudabili magistratu & suorum subditorum commodis inuigilanti principe destinari cum maximo Reipublicę commodo deprehendimus? nec iniuria: cùm enim illi pecuniam ciuium (quæ neruus Reipublicæ dicitur) maximis intercedentibus fraudibus deco-

quant, è medio tolluntur, ne ſua pernicioſa ſtellatura magiſtratum vtilitate, quam ex ciue diuite & fortunato percipit, defraudet: Peſtem hercule reſecari diceres potiùs, quã ciuem tolli, quę vbi fertur, ſua pernicie omnes inuadit, eoſque ad egeſtatem perducit. Aſt quantum præſtat anima corpori & externis diuitiis, tanto impenſiùs magiſtratus perſpicax ſuperſtitionem omnem penitùs in ciuibus euelli, eiuſq; adipiſcendæ occaſionem præcidi curabit. Talem verò generat abuſiua, vt ita dicam, Aſtrologia, ſiue Magia, in quam iam ſuprà cap. 1. degenerare vt plurimum demonſtrauimus. Verùm cùm Magia à vera Aſtrologia longiſſimis diſtet paſsibus, multique reperiantur, qui veram potiùs Aſtrologiam quàm falſam colant, minimè tamen profiteantur, Iudici cognoſcere, qui Magi, qui veræ & non adumbratę Aſtrologiæ cultores, niſi cognita alterutrius habuerit principia, difficile erit. Etenim licèt iure Ciuili Iudex, vbi de operis alicuius perfectione iudicandum, ad artifices eiuſdem artificij recurrere ſoleat, attamen hoc caſu diuerſum puto, vbi non de perfectione operis alicuius, vt erectione domicilij ſecundum artem & præcepta Aſtrologię, aut electione phlebotomiæ idonea agitur, verùm ipſius artis vniuerſæ approbatione, quam plures, aut certè potior pars profiten-

gentur, disputatur & controuertitur.

Necesse itaque erit, vt ipse Iudex horum principiorum aliquam cognitionem habeat, vt illorum medio tanquam indubitato critirio veram artem à falsa discernere, verę Professores amplecti, falsæ verò & improbatæ dignis subdere pœnis posit: sic exonerabit conscientiam, & satisfaciet simul legibus, quarum executioni eum Deus nō vti stipitem, sed virum prudentem pręfecit, qui nihil eorum, quæ ad suum officium facere videntur, intermittere debet: Maledictus enim est is, qui Domini opus facit negligenter.

Verùm sit sanè ita, Iudicem tam imperitum nescire verum Astrologum à Mago, licitam professionem ab improbata arte discernere: ast peritiorum scrutabitur calculum. Ast ad quem in tanta caligine opinionum, ne cæcum ferat elogium, recurrēdum existimabit? Ad ipsosne Magos aut Astrologos? non certè, cùm ipsi nulla ratione de sua professione quam amplexi deteriorem calculum sint laturi, ipsisq; præterea in propria causa sententiam ferre neutiquam concedendum sit. Stoliditatis enim insignis non iniuria argueres iudicem, qui à famoso fure aut raptore exigeret, an furtum puniendum, rapinam coërcendam capitaliter iudicaret; aut ab adultero sciscitaretur, an

adulterium vltore gladio prosequendum decerneret: Quis autem Astrologorum est, qui non aut suas, aut aliorum superstitiones tradat, & posteritati tanquam hæreditarium quid relinquat? hasq; si non rationibus & palàm, ast auctoritate & propagatione defendat & protegat. Quot amabo celeberrimi viri de iudicio Genethliaco immensa conscripsere volumina, eam certis & infallibilibus regulis comprehendere sudarunt & asserunt, cuius tamen vniuersa doctrina, paucis capitibus temperamentum nati concernentibus, non dicam futilis & erronea, verùm damnata ac impia est. Sit sanè ita, Astrologorum nonnullos veram religionem edoctos, tandem animaduertisse, impura pleraque quæ traduntur per manus, veterum esse scripta Astrologica, illi tamen & in quantitate pauci, & in qualitate inferiores sunt, adeò vt horum iudicium licet veritatis auctoritate suffultum, parum aduersus inueteratam & pertinacem superstitionem valeat. Iudex ergo non ad hos, vt ipsos quos res tangit, sed Iurisconsultos confugiet, qui quale crimen Astrologia, quomodo aut quatenus prohibitum in iure Ciuili, Canonibus, & diuinis Decretis diuturno studio & labore didicerunt, ne & illi de hoc crimine vt cæcus de coloribus iudicent, quibus vt assessoribus hac in parte

etiam

etiam,ſi per imperitiam Iudex cæcum tulerit elogium, omne damnum imputandum erit. Etenim Aſtrologiam eſſe damnatam omnes fatentur, verùm quid in ea criminis ſupplicio extremo dignißimi lateat, omnes videntur ignorare. Quo fit,vt nullus Aſtrologorum puniatur, in nullum licèt extrema ſuperſtitione(quæ ex impoßibilibus prædictionibus plerumq; ſuperſtitioſum & idololatricum fundamentum habentibus venanda eſt)captum animaduertitur, adeò leges nō inopia reorum, ſed ſocordia Iudicum videas aculeum in ſceleratos amiſiſſe & perdidiſſe. Etenim Aſtrologiæ abuſus primò diuinis legibus expreſſe prohibitus reperitur Leuitic. cap.19.verſ.31. & cap.20. verſ.16.& 27. Numer.23.verſ.23. Deuteron. c.18.verſ.10.Iſai.cap.2.verſ.6.& cap.44.verſ. 25.& cap.47.verſ.12.& 13. Ierem.cap.10.ver. 2.Mich.cap.5.verſ.12. Deinde Iure Canonico & Decretis Conciliorum, c.quidam nationes. c.non liceat. c.ſi quis epiſcopus. c. aliquanti 26. q. 5. c. illud quod ſecundum.5. nec illi ab hoc. & c.illos Planetarios, & c. ſed & illud adde. 26.q.2. tandem & legibus humanis ciuilibuſque, l.2.l.5. vbi Cuiacius in Paratitl.C.de malef.& mathemat.& l.15. §.13.ff.de iniur.& famoſ.libell.Suetonius in Tiber.c.36. Tacitus annal. lib.2.lib.6.& lib. 17.idem lib.hiſtor.2. Q.Curtius de reb. Ale-

xand.Magn.lib.6. Gell.noct.Attic.lib.19.c. 1.Cicer.lib.1.Tuscul.quæst.

Verùm ne Theologi hic excubias agunt, licèt pluribus in locis sacræ paginæ huius artis abusum sciant seuerè prohibitum, tamen ad eius coërcitionem magistratum veterno captum, & cum gliribus dormiendo certantem excitare supersedent, quam ipsam negligentem functionis diuinæ per actionem non quidem pertinacia magistratus, verùm ipsorum socordia caussat & procreat, qui ipsi tanquam Episcopi in specula constituti, nisi has impietates detexerint, calculum rationis grauem olim sunt Iehouæ posituri, qui tanquam sal terræ infatuati vnà cum delinquentibus, quos prohibere admonitionibus potuissent, in æternum condemnati peribunt. c.si de area 26.q.2. Et cùm de spirituali delicto, quod animæ inhæret, eamq; corrumpit, agitur, quomodo non ad eorum prouinciã huius criminis reprehensio spectabit? quod tamẽ Ius Ciuile, quatenus ciuili obest conuersationi, coërcendum corporali extremo supplicio iudicauit. Nocentissimum certè & pestilens est delictum, quod non anima vti sede contentum, sed extrauagatur pecuniarum damnum & ciuibus & Reipubl. adfert, profitentem & excipiẽtem pariter afficit & conficit, secundum l.vlt. C.de malef. & mathe.

Ast

Ast Theologus frustrà hanc improbat, & pœna anathematis dignam iudicabit, nisi ipse ad vnguem nouerit, in quibus verę Religionis metas excedat, eique contrarietur. Id ex Canonibus Pontificum & Conciliorum Decretis percipere, difficile est, ex sacra verò Scriptura non cuique obuium est. Quibusdam enim locis principia, in aliis verò prædictiones impossibiles ex licitis, possibilibus, verisq; præceptis & rationibus deridentur, & traducuntur, alibi Magiam eiusque species distinctas ab Astrologia videbis, quas artes alibi commixtas & copulatas deprehendes; ob quam commixtionem nonnunquam scriptura per Astrologos Magos, & per Magos Astrologos intelligit, quæ nominum & rei confusio difficile reddit discretionis iudicium, nisi ipse post diligentem artis fundamentorum cōsiderationem inter textus diuersos, & Iuris Ciuilis, Canonici & diuini scias distinguere. Videtur enim Ius Canonicum vsum cum abusu, Magiam cum Astrologia damnare, quod non vsquequaque sequitur sacra Scriptura, quæ cognitionem faciei cœli & possibilem, & in humana potestate positam disertè affirmat: & hoc quidem eo vsque, donec ipsa inter suos terminos se continuerit, quos si egressa fuerit, improbat statim & reprehendit, & quamuis, vt iam dixi, plerisq;

de hoc ipso constet, dicendum tamen, quibus casibus hæc ars sua principia in prædictionibus excedat.

Excedit verò tunc metas primò, quando prædictiones absolutæ necessitati alligat, vt faciunt illi, qui affirmant, eum, qui infortunatas aut oppositas in septima & prima, aut in septimo loco iunctas habuerit violenta morte periturum, etiamsi rex aut sanctissimus esset. Secundò quando imaginariis & fictis principiis superstruit prædictiones reales : quod faciunt hi, qui asserunt Coniunctionem Lunæ cum Cauda Draconis significare plerunq; adulteram matrem & puerum etiam adulterinum & malorum morum, sæpius & infortunatum. Tertiò, quando id inuestigat ex humanæ artis fundamentis, quod ab homine quatenus talis, talemq; profitetur artem, cognosci nulla ratione licita potest, quod in iudicio Genethliaco passim vsuuenit, vbi de morte, genere, temporeq; mortis, liberis, numeroq; liberorum quęstio incidit. Idem experimur in domorum cœlestium erectione & configuratione scrupulosa, virtutum & qualitatum assignatione superstitiosa.

Quantoperè itaque necessaria sit huius artis cognitio, illiusque principiorum non modò Magistratui, Iudici, Iurisconsulto, Theologo, verùm & ipsi duci militari, teste

Polyb.

Polyb.lib.9.n.5. ex hactenus dictis satis superq; elucet, adeò vt vlteriore demonstratione neutiquam res indigeat.

Capvt XXXVIII.

De nouis stellis, quarum prior anno 1572. altera anno 1600. posterior verò anno 1604. apparuit.

LIcèt maximi viri de stellis cùm admiratione totius orbis terrarum prioribus annis visis, suum certè eruditum aperuerint iudicium, ea quidem modestia quà par erat: attamen cùm quidam hinc nactus occasionem, in Aristotelem Peripateticorum principem, eiusq; de Meteoris doctrinam inciuiliùs inuehat, eamq; stoliditatis & fatuitatis manifestè arguat, mihi abstinere non possum, quin non tentem huic aliqua ex parte, si modò vires suppetant satisfacere, & quantum in me est, Aristotelicum dogma de tribus regionibus aëris, vt verum & ingeniosum ab iniuria vindicare. Quamuis itaque Aristoteles ipse fateatur, vltroq; concedat, meteorologica eius non esse ex tripode Delphico desumpta, tamen non diffidentiâ principaliter artis, verùm ne videretur voluisse vnicuiq; nolenti volenti doctrinam suam obtrudere, hoc dixisse apparet. Stat igitur firma & inconcussa de tribus regionibus aëris, cometarumque

generatione eius sententia. Is diuidit mundanam machinam in duas regiones, æthe ream vnam, alteram elementarem. Illam omnis mutationis, alterationisq; expertem facit, hanc in quatuor secat partes, quarum cuilibet elementum attribuit, suprema igni proxima aëri ascripta est, hanc diuidit rursus in tres regiones, supremam, mediam & infimam, Corruptionis, generationis, alterationis, omnisq; mutationis veras sedes & loca destinata. In suprema cometas generari, eamq; non excedere, vtpote elemento ignis conclusam statuit.

Hoc eius dogma hercule sapientissimum arbitrantur quidam perperam, nouam stellam, quæ apparuit Anno 1572. in sydere Cassiopeæ, & stellas, quarum altera visa est Anno 1600. in sydere Cygni & via lactea, altera verò anno 1604. in sydere Ophiuchi, destruere, idque ideo, quod stellæ illæ & meteora fuerint, & tamen omnes sphæras Planetarum transcenderint, propeq; octauam sphæram in ætherea regione apparuerint, quod tamen meteorologica præcepta Aristotelica minimè ferre videbantur.

Verùm enimuerò nullum esse existimo, qui non statim atque meteorologica Aristotelis inspicit, non etiam animaduertat, Aristotelem his de caussis vt Physicum & naturalium rerum indagatorem locutum esse,

non

on verò vt Theologum. Iam verò expe-
itum est, sphæram elementi ignis nullam
lem materiam, ex qua cometa, vel aliud
eteoron oboriri possit, ad superiorem æ-
heream regionē transmittere. Cuius quasi
roprium videtur, vt omnia elementaria &
orruptibilia ab æcherea regione, vti puris-
ima, & omnis mutationis experte, instar li-
itis & scopi, vel repellendo, vel consu-
nendo arceat. Nemo enim quod ego pu-
ém dogma Ramisticum amplexus, tria e-
ementa statuendo, ignē excludet, locumq;
upremum ob leuitatem attributum, eidem
denegabit, cùm iam dudum sinistra illa o-
pinio ex schola Peripatetica explosa & eli-
minata sit.

Duplicem itaque generationem statue-
mus meteororum, aliam naturalem, aliam
supernaturalem, & quæ præter naturæ or-
dinem contingit. De illa locutus est Aristo-
teles vti Physicus, eamq; tribus regionibus
aëris conclusit, suisq; caussis bellè & artifi-
ciosè instruxit. De altera verò vt loquere-
tur, nec locus nec materia suppeditabat, sa-
tis superque officio functus sibi visus, si ea
quæ ad meteora naturaliter contingentia
spectarent, enuclearet & posteritati tra-
deret.

Harum autem stellarum nouarum gene-
rationem hyperphysicam esse ex eo liquet,

quod locus, in quo stellarum illarum generatio contigit, expers sit omnis corruptionis & alterationis, quam tamen generatio harum stellarum immediatè ponit. Propterea necesse fuerit materiam exqua harum stellarum in ætherea regione, eoq; loco vbi apparuerunt natam, non verò ex terra extractam, & in eum locum euectam fuisse, cùm sphæra ignis, vtpote feruidissima, elementaria statim absumens, penetrationi huic non concedat locum. Tu ne igitur elementi ignis naturalem locum & sedem à natura ipsa destinatam è natura & mundo tolleres?

Nam elementa quælibet ad suum locum naturalem cùm tendant, quo quæso elementum ignis sua leuitate omnia reliqua superans tenderet? sursum hercle non deorsum & piramidalis eius figura arguit. Vt verò omnia limitato loco & finita sunt inclusa, ita elementum ignis in suam certam sphæram iustam altitudinem habentem redactum est. Et certè si admitteremus meteora oboriri in ætherea regione naturaliter posse, cur non nubes, & coruscationes, stellasque volantes siue cadentes supra Lunam tantum generari dicimus? si caussas frigiditatem (quo ad generationem nubis) quà destituta sit ætherea regio, concedis primò alterius naturæ æthereram, alterius verò ele-

elementarem esse regionem. Præsupponis deinde calorem circumfusum, per quem frigus cogitur, per eamque coactionem incenditur. Verùm vnde quæso is calor? à corporibus cœlestibusne? non puto, cùm omnis calor per repercussionem radiorum solarium non impeditam, extractionemque vaporum calidorum generetur: quorum ille salubris, hic verò pestilens est: talis autem repercussio concluditur infima regione aëris, nec eam transcendit, aliàs sequeretur mediam regionē aëris calefieri posse, quod absurdum esset dicere: multò minùs calefit extractis vaporibus, cùm hos ipsum elementum ignis absumeret & dissiparet. Expeditum ergo est, harum stellarum generationem esse hyperphysicam, eiusque rationem nullam præter Dei prouidentiam singularem dari posse. Non est itaque Aristoteles sapiens de philosophico studio bene meritus temerè reprehendendus, vt cuius præcepta veritate ita stabilita & confirmata sint, vt non ad nutum cuiuslibet infringantur, verùm se satis superque rectè & verè intellecta defendant, tueanturque. Caussam verò huius præternaturalis generationis si requiras, certè nostram in peccato pertinaciam, duritiemque ceruicis culpabis. In tantum enim nobis, miseri in peccandi & delinquendi assuetudine placemus,

vt nulli cometæ, nullæ Eclipſes licet horrendæ, nullaque meteora quamuis momentoſa in hac infima elementari regione aeris contingentia mouere, ad agendam reſipiſcentiam veram inuitare, conſuetudinemque impiam noſtram peccandi interrumpere valeant. Hic verbum diuinum hebet, omneque officium noſtro vitio perdit, idq; ob σκληροκαρδίαν & duritiem cordis noſtri, quod ad malum pronum, & ad rebellandum Deo, eiuſque verbo promptiſsimum eſt.

Clementiſsimus ergo Deus, quò nos noſtræ contaminatæ & ad perditionem ducentis vitę admoneret, naturalem ordinem inuertens, ſtellam nouam, & antehac à nullo hominum viſam in æthere aliàs inconuenienti & extraordinario loco conſpiciendam exponit, quò admiratione rei tam inſolitæ & nouæ inducti, vitæ noſtræ labem & contagium deprehenderemus, eamque ad auertendam iuſtiſsimam Dei iram perpurgare ſtuderemus: ſiquidem id quod naturaliter licet monſtroſum contingat, non animaduertamus, ſed naturali ordini naturæ adſcribamus. Verùm fallimur. Vt enim Iridis generatio naturæ conſentanea, rationibuſq; ſufficientibus demonſtrari poteſt, attamen ſignum fœderis eſt Dei initi cum Noah: ita Eclipſes luminarium

tium semper aliquid homini portendunt, vtpote quibus Deus Ter Optimus Maximus mortem Christi designauerit, & nouissimum iudicium signaturum se pronũciat, licet harum in Astronomia manifestæ possint reddi rationes. Valeat interim eorum opinio nullis fundamentis suffulta, qui ex principiis Astrologicis demonstrare nituntur, homini hanc stellarum generationem fœlicia portendere. Nam cùm hæc stellæ generatio præter communem ordinem naturæ acciderit, quomodo eidem applicabitur naturalis ex astrorum positu desumpta significatio? multo minus obtinebit ordinarias reliquarum stellarum vires, cùm ea præternaturalis, cum his ne quidem quo ad generationem quicquam habeat commune. Cur quæso ex colore eius ac luce in hac extraordinaria stella, ad eiusdem naturam argumentabimur? cuius effectum, vt & ipsam voluit esse præternaturalem & extraordinariam Deus Almipotens. Alij itaque fini destinatæ sunt, potentiæ & clementiæ magnitudinis diuinæ ad resipiscentiam nos hortantis euidentissima symbola. Multò verò minùs posterioris stellæ generationis tempus incidentiæ ab hominibus prædici potuit, cùm tales prædictiones, qualia ea sunt, ex quibus prædictiones eruuntur, sed talia omnia sunt naturalia &

Phyſica ordinaria,non niſi ergo ordinariarum & naturalium prædictionum cauſſa e-runt.

Aſt ſtellæ illius fuit hyperphyſica generatio: non potuit ergo vllo modo vi Aſtrologicorum fundamentorum prædici, quicquid glorientur multi. Et hæc quidem de ſtellis nouis: quarum admiratio totum terrarum orbem ferè concuſſit, ſimulq; de genuinis & maximé præcipuis qualitatem aëris concernentibus præceptis Aſtrologicis dicta ſufficiant. Deum precor obnixè, vt cuilibet noſtrûm gratia ſui ſacroſancti Spiritus affulgeat, quò facilius verum ab apparenti diiudicare, figmentis, veritatis ſpecie detracta, propriis coloribus depicta oculis mentis ſubiicere conſpicienda valeat. Ita euenturum ſpero, vt quilibet, quid hac in re præſtare nixus fuerim, ſi minus rectè ſcopum attigi, deprehendat, meque ſi amore orthodoxæ & ſynceræ Religionis gratia vehementius in ſpecioſa & figurata præcepta Aſtrologica inuectum animaduerterit, bonus & ſedulus lector omnino excuſatum habeat.

FINIS.

EXEGESIS ASTROLOGICA succincta.

Ad Lectorem.



Vm viderem, Lector amantißime, nullam artem, aut scientiam viros doctos suo labore, studio & lucubrationibus non exornare, solam verò Astrologiam hactenus ne compēdio quidem aliquo dignatam esse: cœpit mihi tandem arridere id, quod omnibus hucusq; displicuit. Nam extra controuersiam est, multos insigniter doctos, & huic studio sedulam operam nauasse & impendisse, idq; & summo ingenio, & admiranda dexteritate calami: nescio tamen an in vtilitatem publicam cesserit. Præterquam enim, quòd ingentia volumina (carnificinam optimorum ingeniorum diceres) de iudicio Genethliaco, deq; venatione rerum abditarum ex variis cœlestium corporum configurationibus conscripta sint à multis, videntur tamen hoc ipso multorum credulitate, quæ in hoc accusari debet meritò, abusi. Multa herculè astrologicè, doctè, & subtili calamo conscripta vidi, purè & verè astrologica nulla: cùm tanta miseria plerunq; huius artis studiosos inuadat, vt ex vera arte diuinatoriam efficiant, quod minimè eueniret, si eandem suam artem intra metas coërcerent, cogitarentq; se vti homines non nisi humana prædicere posse.

De puriore stylo Astrologico ergo cogitaui hactenus, qui, ne saltē in purißima nostræ Religionis principia impingeret impensè curaui, breuibus tamen eum circumscripsi, ne dum in immensum libellus

cona

concresceret opus. aut superstitiosis augere additamentis, aut fastidium tyroni Astrologiæ iniiceere necesse esset.

Genethliaca itaq; præcepta ob eam caussam omisi, eò quòd ex maxima sui parte Religioni nostræ, sacræq; Scripturæ quadrare neutiquam viderem: nolueram ergo obtrudere ea, quorum incommoditates orbis terrarum non tam hodierno, quàm prisco temporum seculo expertus est.

Si itaq; lector optime me, quem plurima fugiunt, minùs dextrè hanc suscepisse prouinciam conspexeris, te summoperè & humaniter rogatum volo, vt digneris hanc nostram disciplinam adiuuare, & si quis melioris & elaboratioris iudicij calculus apud te resederit, nobis eum non inuidere: sic enim vniuersam scholam Astrologicam demereberis: cuius beneficij collatio, si tibi displiceat, rogo alienam telā ne calumniare, aut reprehende: siquidem sycophātæ nomen incurreres, quorum ictibus & cachinnis memetipsum exposuisse non ignoro.

Pleraq; videbis ex optimorum Astrologorum lucubrationibus desumpta; ast non omnia: in quibusdam enim ab his deuiare me veritatis ratio, quæ plurimum apud me valet, coëgit: Quis itaq; labor meus, quæ difficultas inquies? discretionis veri à falso respondeo: qui plerumq; & difficultatis plurimum, & ingenij subtilißimi multum exposcit & exigit. Verum enim duplex est: reuera nimirum tale, & apparenter verum: huic posteriori corticem speciositatis detrahere, laboris est extremi. Nam præterquā

quod veritas falso subtilißimo ingenio sit afficta, etiā idipsum paßim pro vero non in arte tantùm, sed & à quibusuis etiam hominibus vsurpatum est. Quod & magnorum virorum auctoritas hactenus defendit, quorum errores plerunq; nocentißimi & exitiales, velo maximæ auctoritatis inuoluti, nullis non persuadentur. Ast quis horum auctoritatem infringet? quis impugnabit id, quod vniuersus chorus Astrologicus, imo mundus ipse tot annorum constāti assensu & ratificatione approbauit? Quod munus licèt sibi sola Veritas, quæ partim ex sacra pagina, partim verò ex re ipsa desumitur, vindicet, vix tamen est, vt apud omnes excusatus sit, qui talem luci exponere moliatur, secundum tritum:

Obsequium amicos, veritas odium parit,

sufficiat tamen excusari apud meliores.

Verùm enimuerò eam neq; penitus abijciendam, vt nullam & futilem, nec omnino approbandam duxi: quorum primum stolidi, postremum creduli esset hominis: medium ergo venari quàm difficillimum sit, pulcherrimum tamen, tu ipse iudica. Puritati restituta principia, fasciculo methodico, qui alter laboris nodus est, cùm ordine nihil sit elegantius, hic verò ab omnibus ferè, vtpote difficilis inuentu, negligatur inclusi, inclusa meo tractatui amore tanti studij ductus annexi. Vale itaq; & hunc laborem meum, si quis est, æqui boniq; consulito.

EXEGESIS ASTROLOGICA succincta.



Strologia est scientia influentiarum corporum cœlestium, humana industria inuenta ad id, vt qualitas temperamentumque sublunarium ad commune bonũ prædici posſit.

Hęc versatur circa influentias, vt caussas, harumq; effectus.

Influentia autem est ἐνέργεια stellæ cœlestis, qua in hæc inferiora sublunaria agit, eaque afficit, mutat, alterat & cohibet.

Hæc inest syderibus, quæ duplicia, vel fixa, vel erratica.

Fixa sunt, quæ certam distantiam in orbe octauo semper seruant: hæc diuiduntur in asterismos & signa.

Asterismi sunt systemata stellarum fixarum extra Zodiacum constitutarum, imaginem vel animalis bruti, vel hominis, vel partim hominis, partim bruti, vel neutram constituentium: hi diuiduntur in Australes & Boreales.

Australes sunt, quæ in australi parte cœli apparent & conspiciuntur, vt Argo, Notius, Cetus, Acarnar, Eridanus, Lepus, Canis maior, Crater, Coruus, Centaurus, Lupus,

Ara, Corona, Hydra, &c.

Borealia verò sunt, quæ in parte cœli boreali constituta sunt: vt Vrsa maior & minor, Draco, Cassiopea, Andromeda, Perseus, Pegasus, Equiculus, Cygnus, Vultur cadēs, Hercules, Cepheus, Corona, Aquila, Ophiuchus, Triangulum, Canis minor, Auriga, Bootes, Telum, Delphinus, Anguis, &c.

Signa verò sunt sydera fixa Zodiacum constituentia: horum sunt duodecim, quæ vario respectu diuersimodè diuiduntur.

Vel enim sunt imaginaria, vel syderea & stellata.

Imaginaria sunt duodecim partes æquales, quas dodecatemoras vocitant, initium sectionis à puncto Æquinoctij accipientes: & talia Astrologo nil conferunt.

Stellata siue syderea sunt stellæ imaginibus duodecim inclusæ Zodiacum constituentibus.

Horum quædam ratione situs Cardinalia sunt & fixa, quædam verò mobilia, quędam deniq; communia.

Cardinalia sunt signa in Cardinibus Zodiaci se offerentia.

Horum quædam æquinoctialia, quædam verò solstitialia sunt.

Æquinoctialia sunt, in quibus Sol constitutus diem nocti ęquat, iustamq́; aëris temperiem inducit, quæ tamen suum officium

per-

perdunt, in sphæra neutra.

Æquinoctiale rursus duplex est, vel Vernale, vel Autumnale.

Vernale æquat dies crescendo, vt Aries.

Autumnale verò decrescendo, vt Libra.

Solstitialia sunt, quæ puncta solstitiorum constituunt: quorum duo sunt; alterum solstitiale æstiuale, alterum verò solstitiale hyemale.

Solstitiale æstiuale dies hactenus auctos sensim decrescere facit, æstati principium dat, vt Cancer.

Solstitiale verò hyemale diebus hactenus deminutis incrementum adfert, hyememq; instantem annunciat.

Fixa signa sunt, in quibus aeris qualitas à Sole in cardinalibus signis constituto inchoata firmior euadit, ob diuturnam in his moram: talia sunt Taurus, Leo, Scorpius & Sagittarius.

Communia sunt, quæ media sui parte ad conditionem antecedentium, reliqua verò ad sequentium accedunt.

Ratione effectuum quædam sunt Vernalia, quædam Æstiualia, quædam Autumnalia quædam denique Hyemalia.

Vernalia sunt, in quibus Sol vernale tempus constituit, vt Aries, Taurus & Gemini.

Æstiualia, in quibus idem æstatem facit, vt Cancer, Leo, Virgo.

Autumnalia, quæ tempori autumnali attributa ſunt: vt Libra, Scorpio, & Sagittarius.

Hyemalia, quæ triſtem producunt hyemem, vt Capricornus, Aquarius & Piſces.

Ratione verò Æquatoris quædam ſunt ſigna Borealia, quædam Auſtralia.

Borealia ſunt, quę in plaga mundi boreali ſunt, vt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.

Auſtralia, quæ in mundi parte ſunt Auſtrali, vt Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces.

Ratio autem qualitatum primarum quędam ſunt ignea, quædam aërea, quædam deniq; terrea.

Ignea ſunt ea, quæ calidam & ſiccam habent naturam, quorum tria ſunt, Aries, Leo & Sagittarius, conſtituentia triangulum igneum.

Aërea ſunt, quæ calidæ & humidæ naturæ ſunt, quorum itidem tria ſunt: Gemini, Libra & Aquarius, triangulum aëreum pręſentantia.

Aquatica ſunt humida & frigida, pluuioſa, conſtituentia triangulum aqueum, quorum itidem tria, Cancer, Scorpius & Piſces.

Terrea ſunt frigida & ſicca, configurantia triangulum terreum, quorum itidem tria, Taurus, Virgo & Capricornus.

Ratio-

Ratione ſexus quædam ſigna ſunt maſculina & diurna, quædam fœminina & nocturna.

Maſculina ſunt ea, quæ efficaciorem & fortiorem effectum habent, & maſculini temperamenti qualitates ſortita ſunt: talia ſex ſunt: Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagittarius & Aquarius.

Fœminina ſunt, quæ languidiores vires nacta ſunt, vt Taurus, Cancer, Virgo, Scorpius, Capricornus, Piſces.

Ratione obliquitatis Zodiaci, quædam recta, quædam verò tortuoſa ſunt.

Recta ſunt, quæ in quouis Sphæræ poſitu rectè ſeu tardè aſcendunt, vt Cancer, Leo Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius.

Tortuoſa ſiue obliqua ſunt, quæ obliquè ſiue velociter in quauis ſphæræ habitudine aſcendunt, vt Capricornus, Aquarius, Piſces, Aries, Taurus & Gemini.

Reſpectu ſpeciei, & imaginis, quædam humana, quædam bruta, quædam denique mixta ſunt.

Humana ſunt, quæ ſpeciem humanam repræſentant, ad eamq; quàm proximè accedunt, vt Gemini & Virgo.

Bruta ſunt, quæ ſpeciem ferinam præ ſe ferunt, vt Aries, Taurus, Leo, Capricornus.

Mixta, quæ partim humana, partim ferina conſtant figura, quò & neutra referre

licet, vt Sagittarius & Libra.

Respectu verò situs ad puncta Cardinalia, bifariam diuiduntur: primò vel in imperantia, vel in obedientia.

Imperantia sunt, in quibus Sol calorem maiorem excitat.

Horum sunt sex Borealia: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo & Virgo.

Obedientia sunt, in quibus Sol hebet: quorum itidem sex sunt, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius & Pisces.

Secundò diuiduntur in Antiscia siue Æquipollentia, & Discrepantia.

Æquipollentia signa sunt, quæ ab vtroq; puncto tropico æqualiter distant, quorum opposito vel contrario radio intuentia dicuntur odiosa: vt Cancer & Gemini, Leo & Taurus, Virgo & Aries, Libra & Pisces, Scorpio & Aquarius, Sagittarius & Capricornus.

Signorum verò diuisiones ceteras in habentia vocem aut ea carentia: multorum itidem liberorum vel sterilia: pulchritudinis, deformitatis vel mediocria: fœlicium ingeniorum vel infœlicium, cùm superstitioni maximè sint affines, omittemus.

Stellarum verò horum signorum & asterismorum ratione magnitudinis maxima est diuersitas: quædam enim primæ, quædam secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ ma-

agnitudinis ſunt. His adiiciunt nebu- ſas.

Ratione influentiæ verò quædam ſunt aturninæ, quædam Martiales, quædam lercuriales, quædam Saturninæ & Iouia- s, quædam Saturninæ & Venereæ, quæ- am Iouiales Venereæ, quædam Martiales Iouiales, quædam Martiales & Lunares, uædam Martiales & Mercuriales, quæ- am Iouiales & Mercuriales, quædam verò aturninæ & Mercuriales, quædam Luna- es Venereæ, quædam denique Venereæ & Mercuriales exiſtunt.

Stellæ Saturninæ ſunt gelidæ & frigidę, aliquando grandinoſæ.

Iouiales verò ventoſę, ſalubres, nonnun- quam tonitruoſæ.

Martiales & Venereæ impetuoſæ ſunt & ſubitæ.

Martiales Saturninæ peſtilentes ſunt.

Martiales Solares ſunt æſtuoſæ.

Venereæ ſunt humidæ & frigidæ.

Mercuriales indifferentes exiſtunt.

Venereæ Mercuriales venenoſæ, peſti- lenteſq; euadunt.

Iouiales & Mercuriales tempeſtuoſæ ſunt.

Martiales & Mercuriales impetuoſæ ex- iſtunt.

Saturninæ Mercuriales verò egelidæ ſunt.

Lunares turbidæ sunt & tenebrosæ.

Lunares denique & Martiales pluuiosæ & tonitruosæ euadunt.

Nebulosæ verò nebulas efficiunt.

Et hæc de signis stellisq; fixis.

Erraticæ stellæ dicuntur stellæ, quæ fixum locum in sphæra non habent, sed modò accedunt, modò recedunt, certam distantiam inter se non seruantes.

Tales sunt Planetę, quorum septem numerantur: Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius & Luna.

Hi respectu variorum adiunctorum variè diuiduntur.

Nam ratione sexus, quidam masculini sunt, quidam fœminini.

Masculi sunt Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, & Mercurius.

Fœminæ verò, Venus & Luna.

Idq; ratione qualitatum insitarum. Saturnus enim melancholicæ complexioni accedens, frigidus & siccus existit.

Iupiter inducit complexionem sanguineam, humiditate & caliditate abundans: huic & Sol seruit.

Mars verò cholericum humorem adamat, calidus & siccus existens.

Mercurius verò separatim consideratus Saturno cognatus est, eandemque sortitus qualitatum dispositionem.

Venus

Venus verò & Luna humidam & modicè calidam, phlegmaticæ naturæ affinem complexionem receperunt.

Influentiarum respectu quidam Planetarum dicuntur benefici, quidam maleuoli, quidam verò ancipites & dubij.

Beneficus Planeta est is, qui vitæ conseruantibus dominatur qualitatibus.

Hicq; perfectus est vel imperfectus.

Perfecti sunt Iupiter & Sol, optimę complexionis auctores. Imperfecti verò Luna & Venus, imperfectioris & debilioris complexionis qualitatibus imperantes.

Anceps & dubius est Mercurius, qui si bono accedat, bene agit, si malo, in eius degenerat naturam.

Ratione effectuum, alius fortis, debilis alius dicitur.

Fortis autem is dicitur, qui minimè impeditus à pari aut validiore virtute, efficaciter in sublunaria sibi subiecta agit.

Minimè verò impeditus is dicitur, qui dignitatum prærogatiua præ cœteris fulget.

Dignitates autem sunt Priuilegia Planetarum, quibus freti fortiter operantur.

Harum quędam sunt essentiales, quędam verò accidentales.

Essentiales dignitates sunt, quę Planetę enormem adferunt efficaciam, suę naturę

congruentem.

Talem consequitur in domo sua, Exalta- tione, Triplicitate, termino & facie consti- tutus: de quibus ordine videbimus.

De Domibus.

Domus Planetaria est signum Zodiac[i] principalius, maximè naturæ planetæ, qu[i] ei dominatur, conueniens.

Hęc vel nocturna est, vel diurna.

Nocturna est, in qua constitutus Planeta noctu fortiores habet effectus.

Diurna, in qua interdiu efficaciores edit operationes.

Harum singuli Planetę duas, excepto Sole & Luna, nacti sunt, diurnam nempe & nocturnam.

Saturnus ergo loco diurnę Solis ędibus directó oppositę sortitus est Aquarium, no- cturnę verò Lunari maximè inimicę Capri- cornum obtinuit.

Iouis diurnam constituit Sagittarius, no- cturnam verò Pisces.

Mars itidem duas obtinuit domos, no- cturnam Scorpionem, diurnam verò Arie- tem.

Sol vnico receptaculo & quidem diurno Le one nimirum gaudet.

Venus veró alios Planetarum imitans, duo

uo sortita est ædificia: Diurnum quod Libra, & nocturnum quod Taurus exhibet.

Marcurius ventosus diurnam Geminos, nocturnam veró Virginem occupauit.

Luna demùm gaudet in Cancro, eius naturę maximè congruente.

Planeta itaq; in propria constitutus æde, essentiales dignitates quinque obtinere ab Astrologis fertur.

Ab his domibus Planetarum, domicilia cœli longissimè distant.

Ea enim sunt cœli partes, quibus solertia sapientum certas qualitates & dotes adscripsit.

Horum duodecim sunt: quorum quędam cardinalia, quędam succedentia, quędam veró cadentia appellantur.

Cardinalium quatuor sunt: Horoscopus, Cor cœli, Imum cœli, & Cardo occidentalis.

Horoscopus est domus prima, cui vita, mores, temperamentum attributum est, gaudet in ea Mercurius, consignificator est Saturnus.

Medium siue Cor cœli est domus decima, quam cuspidem regalem, honorum & dignitatum fastigium appellāt, nullus Planetarum in ea gaudet, consignificator est Mars.

Imum cœli constituit quarta domus, pa-

rentes, inprimis patrem denotat: nullus tamen Planeta in ea gaudet, consignificator est Sol.

Occidentalis deniq; Cardo domus nuptiarum, ordine septima existit, nullus in ea gaudet, consignificat tamen Luna.

Succedentia sunt illa quę cardinibus succedunt, vt secunda, quinta, octaua & vndecima: Gręcis ἐπαναφοραὶ dicta.

Secunda diuitiis & facultatibus adscripta est, in ea nullus gaudet Planetarum, consignificat Iupiter.

Quinta est domus liberorum, in ea gaudet Venus, consignificat eadem.

Octaua Mortis locus est, nullus in ea gaudet Planetarum, consignificator est Saturnus.

Vndecima Bono genio adscribitur, gaudet in ea Iupiter, consignificator Sol est.

In his constituti Planetę dicuntur proficere.

Cadentia veró sunt, quæ ab angulis paulo antè ceciderunt, in quibus stellę vis acquisita debilitatur, Gręcis ἀποκλίματα dicta. Horum quatuor sunt: Tertia, Sexta, Nona & Duodecima.

Tertia domus fratrum est, in ea gaudet Luna, consignificator Mars est.

Sexta Malę fortunę & ægritudini adscribitur, gaudet in ea Mars, consignificator est

Nona

Nona Religions ędicula eſt, in ea gaudet Sol, conſignificator Iupiter eſt.

Duodecima Carceri & malę manſioni adſcribitur, gaudet in ea Saturnus, conſignificator eſt Venus.

In his domibus verſantes Planetę dicuntur deficere.

Quid veró de his domorum dotibus & adſcriptis qualitatibus ſentiendum ſit, iam in Enchiridio meo Aſtrologico ad nauſeam expoſui, hoc loco itaque vt repeterem, neceſſarium non duxi.

Hęc eadem domicilia diuiduntur in quatuor quadrantes, quorum cuilibet tres domus attribuuntur.

Primus eſt ab Horoſcopo ad decimam domum ſecundum primum motum procedendo, continetque tres domos, Duodecimam, vndecimam & decimam.

Hic quadrans Orientalis, aſcendens, puerilis, maſculinus, ſanguineus & vernus appellatur.

Secundus veró eſt à decima ad ſeptimam, continens tres domos, Nonam, octauam & ſeptimam.

Dicitur autem quadrans Meridionalis, deſcendens, iuuenilis, fœmineus, cholericus & æſtiuus.

Tertius eſt à ſeptima ad quartam, includens Sextam, quintam & quartam domum.

Vocaturq; quadrans Occidentalis, descendens, virilis, masculinus, melancholicus & autumnalis.

Quartus deniq; est à quarta ad primam, comprehendens tres domos, tertiam, secundam & primam. Diciturq; Septentrionalis, senilis, fœmineus, phlegmaticus & hyemalis.

Ratione fœlicitatis aut infœlicitatis, quędam domus fœlices, quędam veró infœlices sunt.

Fœlices domus sunt, quę fœlices euentus denotant, vt prima, secunda, tertia, quarta, quinta, septima, decima & vndecima.

Infœlices sunt, quę aduersa significant, vt sexta & duodecima.

Per accidens veró fœlix redditur domus, vel incidentia signi fœlicis, vel concurrentia radiorum beneuolorum Planetarum fęlicium.

Infausta autem redditur, quando maleuoli Planetę, vel corpore, vel radio inimico ibi pręsentes fuerint.

In his domibus considerant Astrologi pręrogatiuam nimirum & aspectum.

Pręrogatiua vel in sexu est, vel in situ.

Respectu sexus alia masculina, alia fœminina dicitur.

Masculinę sunt sex: Prima, tertia, quinta, septima, nona, vndecima.

Fœmi-

Fœmininę vero sunt secunda, quarta, sexta, octaua, decima, duodecima.

Ratione situs, Prima prȩfertur decimȩ, quanquam Ptolemȩus decimam prȩponat primȩ, eo quod Zenith sit capitis, decima vndecimæ, vndecima septimȩ, septima quartȩ, quarta quintȩ, quinta secundȩ, secunda nonȩ, nona tertiȩ, tertia veró duodecimȩ.

In cardinibus Orientalis reliquis prȩfertur, proximam huic obtinet prȩrogatiuam Medium cœli, hoc sequitur Occidentalis cardo, postremum Imum cœli sortitur locum.

Aspectus domorum alius est sinister, dexter veró alius.

Sinister est, qui secundum signorum seriem ex Ariete in Taurum, ex prima in secundam fit domum.

Dexter est, qui proiicitur contra seriem signorum ac graduum, id est, ex prima in duodecimam & vndecimam, vel ex Ariete in Pisces & Aquarium.

Circa prȩrogatiuam tamen horum aspectuum hoc notandum, quod sinister aspectus sit efficacior dextro in signis. In domibus veró dexter sinistro prȩualeat. Et hȩc de domibus.

Pauciores veró dignitates prȩstat Exaltatio.

In hac constitutus Planeta, exaltationem & incrementum virium insigne acquirit.

Saturnus itaq; exaltatur in Libra, Iupiter in Cancro, Mars in Capricorno, Sol in Leone, Venus in Piscibus, Mercurius in Virgine Luna verò in Tauro.

Tribuit autem hæc Planetæ prærogatiua dignitates quatuor.

De Triplicitate.

Hanc excipit Triplicitas, quæ est constitutio Planetæ politica in aliquo Trigonorum, suæ naturæ & qualitati conuenienti.

Sunt autem quatuor Trigoni, Igneus, Aëreus, Aqueus, & Terreus.

Igneo, quem Aries, Leo & Sagittarius constituunt, præsunt Sol & Iupiter: Mars ob maleuolentiam excluditur.

Aërei, qui à Geminis, Libra & Aquario figuratur, cronocratores sunt Saturnus & Mercurius.

Aqueo verò, quem Cancer, Scorpio & Pisces constituunt, dominantur Mars, Venus & Luna.

Terreo à Tauro, Virgine & Capricorno constituto præsunt Venus & Saturnus.

Hæc Planetæ tres adiicit dignitatis calculos.

De ter-

De Terminis.

Sequitur dignitas terminorum siue finium, qui nihil aliud sunt, quàm certi & limitati gradus, in quibus Planetæ certis de caussis prerogatiuam quandam habent, & fortiores existunt.

Hæc duos calculos tribuit.

De Facie.

Vnicum verò adiicit Facies, quæ nihil aliud est, quàm certa quædam collatio situs Planetarum ad situm Luminarium Solis & Lunæ, qua cum iisdem eo modo configurantur, quo domus eorum cum Luminarium domibus, ita tamen, vt ad Solem occidentales, ad Lunam verò orientales sint.

Omnium nobilissima verò dignitas est ea, quæ composita ex aliis est simplicibus, quæ hactenus declaratę sunt, & vocatur Carpentum, Thronus, vel regium Solium. Tunc autem inuehi in Carpento, seu regium Solium occupare dicitur Planeta, cùm signum tenet duobus aut pluribus societatis dignitatibus Planetæ cognatum, vt Venus in Tauro aut Piscibus, Mercurius in Geminis & Virgine, Saturnus in Libra & Aquario, Mars in Scorpione, Iupiter verò in Sagittario. Et hæc de essentialibus dignitatibus Planetarum.

Accidentales dignitates sunt, quæ Planeta aut ratione motus, aut situs in domibus, aut aspectus Planetæ alterius habet.

Ratione motus vel est liber à combustione, & obtinet dignitates quinque: vel in Corde Solis reperitur, & quinque dignitates sortitur, vel dirigitur, quo respectu obtinet quatuor prerogatiue notas, vel Orientalis ex tribus superioribus, & duas habet dignitates: vel Occidentalis ex duobus inferioribus, & consequitur totidem, vel velox cursu est, & habet duas prærogatiuas.

Ratione situs in domibus cœlestibus est vel in medio cœli, aut Horoscopo, & obtinet quinque dignitatis calculos: vel in domo septima, quarta vel vndecima, & consequitur quatuor dignitatum notas: vel in domo secunda & quinta, & obtinet tres: vel in domo tertia & nona, & consequitur duas dignitates.

Radij respectu, Coniunctio, Trigonus vel Sextilis Iouis & Veneris, dignitatis notas Planetæ non denegat. Priore casu quinque, posteriore trium, intermedio vero quatuor est capax.

Coniunctio autem Iouis & Veneris cum Regulo aut spica Virginis, quinq; dignitatum capacitatem promittit.

Verùm euenit, vt Planetæ suas dignitates permutent, ita vt vnus in alterius Pla-

ne-

netæ domicilio, vel exaltatione, vel è contra reperiatur, talis permutatio dicitur Receptio.

Eaque duplex est: vel ex domicilio, vel ex Exaltatione.

Receptio ex domilio vocatur, cùm Planetæ signa in quibus habent sua domicilia inuicem permutant: vt si Sol in Libra, Venus verò in Leone existat, Receptio mutua ex domicilio contingit.

Receptio ex Exaltatione est, quando Planetæ signa exaltationis suæ permutant, vt si Iupiter in Libra, Saturnus verò in Cancro reperiatur, fit receptio ex Exaltatione.

Hęc receptio tribuit tot fortitudines, quot ipsa dignitas, ex qua fit receptio.

Vna tamen receptio altera dignior est, nempe ea, quæ ex benigno fit radio, vt Sextili & Trigono: minùs fœlix quę fit vel ex signis oppositis, aut quadratis, vel iis in quibus detrimentum patiuntur.

Et hæc de dignitatibus, de debilitatibus nunc agemus.

De Debilitatibus.

Debilitas autem est affectio Planetæ efficacem eius operationem impediens.

Hæc contingit aut ratione situs, aut motus, aut aspectus.

Ratione ſitus combuſtus dicitur Planeta, obtinetq́; debilitates quinq;.

Combuſtus autem dicitur Planeta, ſi radios Solis ſubintret.

Eodem modo debilitatur, ſi Occidentalis ſit ex duobus ſuperioribus, aut Orientalis ex inferioribus: vtrobiq; enim duas conſequitur debilitatum notas.

In detrimento conſtitutus, quinque aſſequitur, quę affectio & Exilium dicitur.

In Exilio autem tunc eſt, cùm in ſigno ſuę domui è directo oppoſito exiſtit.

Cadens verò Planeta debilitates quatuor conſequitur.

In Caſu verô Planetæ tunc dicuntur conſtituti, quando in ſigno ſuę Exaltationi oppoſito verſantur: cuius rei ocularem quandam delineationem in ſubiecta tabula vides.

Tabula Detrimenti & Caſus Planetarum.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	*ſig. Zo.*
♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿	*Detri.*
♄			♂		♀	☉	☽		♃		☿	*Caſus.*

Peregrinitas itidem ratione ſitus accidit, tribuitq́; quinque infirmitatis calculos. Peregrinus autem dicitur Planeta, qui nullam eſſentialium dignitatem obtinet, ſed extra omnes reperitur collocatus.

In

In domo duodecima constitutus quinq; infirmitates, in octaua aut sexta quatuor obtinet.

Ratione motus dicitur Planeta tardus cursu, & duarum infirmitatum adiectionem patitur.

Ratione aspectus Coniunctio Saturni & Martis quinque, Oppositio verò eorundem quatuor, quadratus verò tres debilitates tribuit.

Coniunctio autem Capitis & Caudæ Draconis tres, in Eclypsi tres infirmitates sortitur.

Et hæc de Debilitatibus Planetarum, de Effectibus nunc agendum.

De Effectibus influentiarum.

In Effectibus Planetarum consideratur vel modus venandi effectus, vel ipse effectus.

Venatur verò effectus vel ex loco Planetæ, vel eiusdem motu.

Respectu loci dominus vel dispositor eligitur temporis Planeta.

Quod tempus vel vniuersale est, vel particulare: Vniuersale annus est: Particulare vel partis anni est, vel Lunationis.

Anni particulare est Vernum, æstiuum, autumnale & hyemale: Lunationis tempus

constituunt tempora senescentis Lunæ. His omnibus eodem modo præficitur dominus.

Præfectura autem hæc defertur ex themate tempore ingressus Solis in Arietem, Cancrum, Libram & Capricornum : aut Coniunctionis Lunæ aut Solis erecto.

De Domini electione.

Venatio autem talis dicitur Electio Domini.

Is autem Planeta eligitur in Dominum, qui ratione fœlicis positus & prærogatiuarum cæteris Planetis superior exi̅stit: idq́ue multo magis, si talis in quatuor domorum cardinalium aliqua reperiatur: vbi diligenter prærogatiua domorum consideranda erit.

Dignitates Planetarum iam suprà exposuimus.

Talis verò Planeta vniuersum tempus, cui pręficitur generali quadam suę qualitatis præeminentia disponit & dirigit.

Et quidem si maleuolus, beneuolorum præsentia vel radio minimè impeditus calamitates infert. Econtrà si beneuolus contigerit anni dispositor: aut maleuorum nequitia beneuolorũ præsentia vel radio destructa fuerit incolumitatem rerum exspectamus.

Ra-

Ratione motus verò tardus, vel retrogradus, vel stationarius, vel deniq; velox Planeta dicitur.

Tarditas effectum debilem, fortem è contra velocitas, statio & retrogradatio itidem infirmum arguunt,

Nihil tamen citra Lumen efficit Planeta.

Eius ratione aspectus considerantur Planetæ, qui vel ipsorum tantùm Planetarum, vel Planetarum & Asterismorum est.

De Aspectibus.

Aspectus est distantia certa astrorum.

Quorum quatuor sunt: Oppositio, Quadratura, Trigonus & Sextilis. Coniunctio enim propriè aspectus non est, vt suprà exposuimus.

Inter hos ille fortissimus est, cuius beneficio fit, vt duorum validorum Planetarum radij prope terram confundantur: talis Trigonus, Quadratus & Oppositio.

Horum medio aëris venatur qualitatem & temperiem verus Astrologus, quæ est ipsorum Planetarum verus effectus.

Qualitas autem ea est vel naturalis, vel accidentalis.

Naturalis est, quæ ex natura temporis profluit: vt verni temporis qualitas propria est, humida & calida, sanguinea: æstatis ca-

lida & sicca, colerica: autumni frigida & sicca, melancolica, senilis: hyemalis frigida & humida, phlegmatica est. Hæc caussatur ab astris cum Sole orientibus vel occidentibus.

Accidentalis est, quæ præter naturam tẽpori accidit: hæc plerunq; à reliquis Planetis quinq; dependet. Solis itaq; proprium est, producere materiam, circa quam reliqui Planetæ alterando, incitando, destruendo versantur.

Ortus verò & occasus astrorum cum Planetis multum habet momenti in mutanda vel continuanda tempestate.

Ortus & occasus multiplex est, vel Cosmicus, vel Acronychus, vel Heliacus.

Heliacus omnium debilissimus est: Reliqui verò plurimum momenti cum Sole tum cæteris habent Planetis.

Effectus autem aspectuum, ortuum siue occasuum multiplices sunt: duobus verò concluduntur, serenitatis nimirum, & turbationis.

Hi considerantur vt effectus, vel vt causę.

Serenitas vt effectus considerata, vel est tranquilla, vel flatulenta.

Tranquilla ea est, quæ citra ventorum flatus est, eaq; caussatur plerumq; tempore sicco & calido, quando materia ventorum nimio calore absumitur, ventorum generatio-

rationi denegante fomitem, vt in diebus canicularibus nonnunquam contingere solet: quod ipsum tempore frigidissimo vsuuenit, rarò alio, nisi Planetæ præsertim genitores flatuum fuerint debilissimi.

Flatulenta est ea, quæ cum ventis est, eaque vel amœna, vel turbulentior.

Amœnior caussatur à Ioue, qui saluberrimos ventos æstate serenantes aërem prolicit Septentrionales: in hyeme serenitatem cum rigidissimo frigore continuat: Borealem enim ventum frigidissimum, sed saluberrimum concitat.

Durior plerumq; caussatur à Marte, qui occidentales ventos concitando nonnunquam ob impetuositatem nubes dissipando aëri inducit serenitatem. Venus verò, ad serenitatem quidem procliuis, verùm magis humida est. Congressus autem Solis & Iouis nonnunquam serenare aërem, non tamen citra aliquam concussionem solet.

Hæc ipsa serenitas cum maximo est aut calore aut frigore.

Calorem maximum in æstate exspectamus, quem Mars, nonnunquam & Iupiter caussat. Mars quidem oriens cum stellis Iouialibus, aut Martialibus: Iupiter coëundo cum Marte: idem Veneri in signo igneo applicatus, promittit calorem.

Frigus verò caussat & Iupiter in hyeme,

Saturnusque verno tempore cum Mercurio apud sydus Saturninum: Idem potest Radius fortis Saturni cum Luna plena tempore hyemali.

Huic consequentia sunt Pruina & Ros.

Pruina contingit ex frigore, quando vapor extractus ex terra in infima regione cõsistens à frigiditate noctis resolutus in humiditatem, ex nimio eius rigore concrescit, & in glaciem coit: eiusque vis in adustione consistit.

Caussat hanc maleuolus ille Saturnus tempore Plenilunij, quando cum Sole, vel Mercurio, aut Marte aliquo radio congreditur, idq; tempore vernali, maximè sub finem Aprilis, & principium Maij.

Duplex autem pruina est: vel perfecta, vel imperfecta. Perfecta caussatur ab intenso frigore: imperfecta veró ex languido, hæc plerumq; copiosa & vocatur Wasserreiff.

Ros veró nihil aliud est, quàm exhalationis extractæ è terra & suspensæ in infima regione aëris à frigiditate noctis facta resolutio; qui pro ratione & diuersitate exhalationis varius apparet. Nimius enim calor exprimit pingues exhalationes, ex quibus ros generatur mellcus: cùm is tantus sit, vt non modó id, quod aquosum est, verùm & omne quod viscosum terræ globo inest, exprimat & extorqueat, idque tempore vernali,

cùm

cùm arbores florere incipiunt magis, quàm alio.

Cuius ratio eſt, quod ſolum æſtu maximo torridum & induratum, aquoſas exhalationes deneget. Hic ros arborum & pecorum, præcipuè veró ouium eſt peſtis: Germani vocant Honigtaw.

Turbatio aëris variis contingit modis: ea enim eſt vel cum humiditate, vel ſine ea: cũ humiditate dicitur pluuioſa, eaque vel ſola eſt, vel ventoſa inſuper.

Illa cauſſatur ab humidis influentiis ſtellarum, preſertim Veneris, quæ impetuoſa non eſt, exortu etiam vel occaſu medij Cancri & Caudæ Scorpij, ſimilibuſq; conſtellationibus Lunaribus.

Tempore veró hyemali pluuię illæ in niues ob frigiditatem conuertuntur.

Hæc generatur à ſtellis calidis tempore tepidiore, maximè veró Marte & Venere, Capite Arietis, Hyadibus, Piſcibus, Cornuq; Arietis.

Ventos adiicit Mars copulatus cum Venere in ſigno aquatico, aut cum ſimili aſteriſmo aſcendens aut deſcendens, vt Hyadibus, Pleiadibus, & Capitibus Geminorum, atq; Delphino: & talis quidem tempeſtas ſe tempore hyemali, Vernali & Autumnali plerũnq; offert: verùm pluuiæ illæ aut ſunt continuæ & leues, aut repentinæ.

Continuæ caussantur ab exortibus stellarum Lunarium, Iouialium, Venerearumq;, vt dictum est.

Repentinæ sunt vel imbres, vel tempestates.

Imbres creat subita resolutio ob tepiditatem auræ, eamq; promittit Mercurius cũ Sole in signis aquaticis.

Tempestates plerumq; coniunctæ cum ventis, fulminibus, grandinibus & coruscationibus sunt.

Fulminat veró Mars, quando in ęstate oritur cum Canicula, & intensum excitat calorem, maximè si habeat calculum Iouis, coruscationes addit creberrimas cum Pegaso, Ioue & Delphino: grandinat cum Saturninis stellis copulatus, aliquãdo & cum Iouialibus Venereisq;: impetuosus est iunctus Mercurio. Sed & Saturnus cum Sole grandines demittit in media æstate. Oculus Tauri cum Marte occidens peculiarem vim habet generandi & proiiciendi grandinem, & quidem nocentiorem, idque omne in vere magis quàm æstate, quia eo tempore & mediæ regionis frigus cogendo intenditur, & vapores tepidi subitæ constrictioni obnoxij generantur, ex quibus facilè grando procuditur: vapor autem ille quando minùs copiosus est, solet producere imperfectam grandinem, quam nostri Kiselbonen vocant.

Cade-

Cadere illa solet frequenter apud nos in Maio & Aprili: caussatur à Saturno & Sole, aut stellis Saturninis & Venereis, earumq; congressu.

Sine humiditate turbatur aër ventis, nebulis, & nubium abundantia.

Ventus verò est exhalatio fumosa, & circum terram mota & agitata, aerem secum rapiens.

Hic vel simpliciter talis, vel impetuosus admodum est.

Simpliciter talem excitat Mars cum Capitibus Geminorum, & Sol adiutus tamen, cum stellis Mercurialibus & Martialibus. Regressus itidem Planetarum omnium pro natura Planetæ excitat ventos, quod idem & Statio efficit. Mercurij denique aspectus ad Solem & Lunam fœlix est in concitandis ventis, maximè sub finem hyemis & autumni.

Impetuosus ventus plerunq; degenerat in Ecnephiam, Typhonem & Presterem.

Ecnephias autem est densius, magisque confertim vno in loco crassior spiritus conglobatus & eiectus: quem Latini procellam vocant, Germani Sturmwindt.

Hi vapores si ingenti & vno quasi impetu constricti deorsum præcipitantur, tunc magna vis aquæ subitò effunditur, Germani vocant ein Wolckenbruch.

Efficiens huius est Martis cum Venere valida copulatio, Iouis itidem & Martis cū Delphino aut Piscibus congressus, Aquila verò huic impetuositati destinatum est astrum.

Vortex veró est ventus, qui ob exhalationis coangustationem à nubis parte superiore densa in terram retorquetur: Germanis Windtsbraut. Talem creat Mars in puncto directionis. Coniunctio itidem Iouis & Solis descendentis cum capitibus Geminorum, dum Saturnus apud Lucidas Libræ est: idem efficit nonnunquam Mercurij & Martis congressus apud tempestuosas. Prester verò est vortex inflammatus, rarissimeque contingit, cùm omnibus exitium minetur.

Nebulas veró euocat ortus aut occasus stellarum nebulosarum: inter Planetas Iupiter & Mercurius, combinati: Saturnus insuper & Mercurius, Venus in Autumno, Sol in Arcturo: in hyeme verò stellæ Iouiales & Martiales aërem tetris nebulis subiiciunt: quod ipsum & Mars cum Mercurio potest, item Saturnus cum Venere.

Nubium genitor, & ipse Mercurius, qui cum Venere aut Saturno, necnon cum Marte & Luna nubes vehementer propellit.

Terram concutiunt Mars & Saturnus validissimo aspectu copulati. Idem operatur transi-

transitus per Pleiades Martis.

Meteora ignea dominium Martis generat: verùm cùm hac in parte mens cæcutiat humana, his probabilibus allegationibus caussarum naturalium meritò erit acquiescendum.

Et hactenus quidem hi effectus considerantur vt effectus: vt caussæ verò considerati, referuntur ad Electiones, morbos humanos & incendia.

De Electionibus.

Electiones autem vel ad rei familiaris incrementum, vel sanitatis tuitionem & recuperationem pertinent.

Incrementum rei familiari & œconomicæ adfertur, si idoneum tempus agrum colendi, ligna secandi, fructus colligendi, boues, sues & hœdos castrandi obseruetur.

Agricultura verò imprimis versatur circa plantationem arborum & plantarum, ac insitionem surculorum, putationemque earundem.

Plantationis arborum pro ratione diuersi temperamenti loci, diuersa sunt tempora.

In locis enim aridis Luna in Cancro, in humidis eadem in Virgine, in mediocribus in Libra exoptatur, cum testimonio beneuoli Saturni.

Vitium plantatio ſemper eligi poteſt, ni forſitan Luna per Quadratum, Trigonum Coniūctum vel Oppoſitum aſpectum Martis læſa fuerit, is enim inimicus earundem eſt.

Inſitio veró & putatio arborum eſt optima Luna exiſtente in Aquario cum teſtimonio amico, aut etiam Quadrato Iouis & Veneris.

Vites ſi putaueris Luna plena in Tauro, Leone, Scorpione, & Sagittario, volucres vuas non infeſtabunt.

Agrum veró coles à Coniunctione Luminarium, ad eorundem vſque Oppoſitionem.

Pro ſeminum verò iactu hunc ſubſequentem obſerua typum.

TYPVS INSERVIENS
iactui ſeminis.

Luna exiſtente in
- Ariete cum Sextili, Trigono, etiam Quadrato Saturni, ſemina.
- Cancro cum Sextili vel Trigono Saturni, ſeminato.
- Scorpio cum Sextili vel Trigono Saturni, agrum ſemina.
- Aquario cum Sextili vel Trigono Saturni, hortos cole.
- Tauro cum Sextili vel Trigono Saturni, ſemina.

6.grad.

6.grad.Cancri,ara,semina.
Leone & Virgine, semina,planta.
Scorpio à 28.grad.in 10.Sagittarij vsque ædifica cum eodem aspectu Saturni terras.

Idq; die ante vel post nouam Lunam, in genere tamen ante pluuias mox futuras, ut post eas.

Ad hoc quinq; delegantur menses, Martius, Aprilis, Maius, September & October.

Ligna verò secabis & incides ab Oppositione Lunæ vsq; ad vltimam quartam, præsertim à decimo tertio die Nouembris in decimum tertium vsq; Ianuarij, idq; ad ædificiorum exstructionem.

Lignorum veró minimè cariei aut putrefactioni obnoxiorum incisioni quidam destinant tertium, nonum & decimum quintum Februarij, & vltimos duos Decembris cum primo Ianuarij: quorum tamen superstitiosam opinionem suprà refutauimus.

Eligimus veró astrologicè tempus existentiæ Lunæ sub terra in signis terreis, Tauro, Virgine & Capricorno, coitum appetentis, decrescentisq; cum testimonio Saturni. In genere verò hyemale tempus ob subtractionem succi, qui facilè putrefactionem caussat, aptius est incisioni lignorum.

Ad focum verò instruendum prima quar-

ta cum testimonio Iouis aut Veneris attendenda.

Tempus colligendorum fructum maturorum reddit idoneum Iouis aut Veneris cum Luna ad serenitatem inclinans configuratio. Vuarum verò pluuiis madidarũ collectio reddit vinum nimis aquosum. Cœli verò calida constitutio, modó ea sit diuturna & sicca, vinum efficit generosum, cùm vitis eo tempore optimo terræ succo alatur, quicquid verò aquositatis inest, radiorum solarium frequentibus ictibus bene concoquatur.

Castratio suum, hœdorum, quo & mactatio spectat, commodissimè eligitur Luna decrescente: omnia enim Plinio teste fiunt tutius Luna decrescente. In tondendis ouibus Luna crescẽs obseruanda potius quàm decrescens.

Alterum membrum est sanitatis tuitio, vel amissæ recuperatio.

Sanitatis conseruatio consistit in matura applicatione medicamentorum & venę sectione.

Immaturè verò medicamenta adhibentur, primò tempore calidissimo & frigidissimo: ratio, quia tunc temporis natura vel debilis est, vel obsessa externo hoste arctè tenetur, adeò vt medicamentum vel planè non admittat, vel certè in deterius concoquat.

Se-

Secundó vitandus medicamentorum vsus tempore exortuum vel occasuum calidissimarum stellarum, qualis Arcturus, Cor Leonis, Canicula, Hercules, quo ipso tempore tactus ferri candentis, aliæq; medicinę calidę summoperè declinādę sunt: quod ipsum in diebus canicularibus, Sole cum æstuante Canicula exoriente, de omnibus violentis pharmacis intelligendum est.

Tertió omittendi sunt maleuolorum inter se vel ad Lunam aspectus: hi enim cùm sint infausti, naturæque inimici, Lunam συμπάθειαν admirabilem cum humoribus corporis humani habentem afficiunt & lædunt.

Quartó docent quidam caueri in sumptione medicamentorum ruminantia signa: Arietem, Taurum & Capricornum, cùm ea facilè nauseam & vomitum moueant. Leonem verò ideo aptum non esse dicunt, quôd membrum cui Luna insidet non sit, nec quolibet medicamento onerandum. Ast stomachum Luna in Leone discurrente concitat, facilè itaq; medicamentum tunc temporis sumptum nauseam moueret: sed & suprà quid sentiendum de hac cautela esset, percepimus.

Quintó Luna fœlicissimo aspectu Ioui copulata impedit medicamenta ob naturæ confortationem.

Sextò declinanda Luna aſcendens in circulo, quia tunc temporis humores ad ſuperiora extrahuntur, ad vomitioneſque creberrimas natura impulſa erigitur.

Venæſectio verò immatura vehementer impugnat naturam, cùm deminutio ſanguinis tempore funeſto magnæ alicuius plerunque mutationis cauſſa eſſe ſoleat.

Impediunt veró eandem frigus & calor immoderatus. Natura enim potiùs eo temporis momento confirmanda, quàm debilitanda eſt: debilitatur autem maximè primò ſanguinis extractione, & deinde euocatione ſpirituum animalium.

Pręſentia ſecundò Lunę inſidentis membro, cui vena ſecanda ineſt.

Tertiò aſpectus Planetarum & huic obeſſe induſtrij Aſtrologi obſeruant, quod ex ſequenti tabula videre licet.

Tabulæ aſpectuum venæ ſectionem impedientium.

1.

Coniunctio Lunæ &	Solis	duos dies ante & poſt.
	Martis Saturni	impedit venæ ſectionem vno die ante & poſt.
	Capitis Caudæ Drac.	vno die ante & poſt impedit phlebotomiam.

Qua-

2.

Quadra-us Lu-æ &	Solis Saturni Martis	impedit venæ sectionem 12. horis antè & post.

3.

Opposi-io Lu-æ &	Solis Saturni Martis	impedit phlebotomiam vno die antè & post.

Coniunctio, Oppositio vel Quadratus Saturni & Martis impedit phlebotomiam per vnum diem antè & post.

Quartò Luna in signis malis constituta, vt Leone & Tauro, impedit venæ sectionem.

Astrologus tamen magis solicitus est circa recuperationem amissæ sanitatis, quæ tota sita est in idonea venæ sectione, & matura purgatione, curationeq;.

De Venæ sectione.

In eligenda venæ sectione Luna imprimis attendenda.

Ea autem pro ratione positus diuersis complexionibus apta est, quod ex sequenti tabula manifestum redditur.

Tabula quartarum Lunæ singulis complexionibus correspondentium.

Luna perag͂râte quartam	Primam	ſanguineis oriente Sole.	mittẽdus eſt ſanguis.
	Secundam	Cholericis in meridie.	
	Tertiam	Phlegmaticis & viris mediocris ſenectæ in medio noctis.	
	Quartam	Senibus, Melancholicis in occaſu Sol.	

In diuerſitate complexionum, Zodiaci etiam diuerſorum ſignorum conſideratio neceſſaria eſt.

Complexionum autem quæ ex diſpoſitione quatuor humorum colliguntur à ſolertibus Medicis, ſunt quatuor: Sanguinea, Cholerica, Phlegmatica & Melancholica.

Sanguineis conueniunt ſigna terrea, Virgo nimirum, Capricornus & Taurus: Cholericis verò aquoſa, Cancer, Scorpio & Piſces: Phlegmaticis Aries & Capricornus: Melancholicis priores quindecim gradus Libræ, & Aquarius.

Sine magna itaq; cauſſa vena non eſt pertundenda Luna exiſtente in Geminis & Leone, & tunc, quando Iupiter & Venus combuſti ſunt.

Tempus veró idoneum eligitur ex aſpectibus Lunæ exiſtentis in ſigno complexioni datæ congruente. Hic aſpectus auté vel eſt ad beneuolos, vel maleuolos: vtrumque vel inimico vel beneuolo radio: quorum omnium virtus ex ſequenti deſcriptione apparebit.

Tabulæ aſpectuum venæ ſectionem ſuadentium vel non differentium.

Coniunctio Lunæ &	Veneris aut Iouis	bona eſt.
Sextilis Lunæ &	Veneris aut Iouis	melior eſt.

Sextilis Lunæ & Solis idoneus eſt.

Sextilis Lunæ &	Saturni aut Martis	bonus eſt.
Trigonus Lunę &	Solis Iouis Veneris	optimus eſt.
Trigonus Lunæ &	Saturni aut Martis	non noxius.
Mercurij cum Luna	Coniunctio Oppoſitio Quadratus Trigonus Sextilis	mediocris eſt.

Luna autem feralis ſine omni aſpectu phlebotomiam non impedit. In genere veró obſeruandum eſt, vt fiat phlebotomia tempore ſereno & tranquillo: idem de ſcarificatione ſit iudicium.

De Purgationibus.

Purgatur autem corpus vel medio interno vel externo. Ille modus expeditur per medicamenta.

His vel corpus confortandum, vel purgandum eſt: Prioris curæ tempus idoneum habita ratione læſæ facultatis ex ſequenti tabula elicies commodè.

Tabula facultatum corporis læſarum confortationis.

Luna exiſtente in	Ariete, Sagittario & Leone, vis attractiua	iuuatur.
	Tauro, Virgine, vis retentiua	
	Geminis, Libra & Capricorno, virtus digeſtiua	

Virtus expulſiua Luna exiſtente in	Cācro, per electuariū	erigitur
	Scorpio, per potiones	
	Piſcibus, per pillulas	

Vbi verò corpus purgandum, non tam humor corporis, quàm locus Lunæ idoneus obſeruandus: quod ex ſubiecta tabula venaberis.

Tabula

Tabula purgandorum humorum corporis.

Luna existente in {

Cancro, cum testimonio Trigoni aut Sextilis Veneris, Solis aut Martis Phlegma, cum Iouis aspectu Melancholiam curare conuenit per electuarium.

Scorpio aut Aquario cum testimonio Trigoni aut Sextilis Veneris colera; cum Solis aut Martis phlegma; cum Iouis melancholia per potiones curabitur optimè.

Piscibus, cum testimonio Trigoni aut Sextilis Veneris coleram; cũ Solis phlegma; cum Iouis melancholiam per pillulas curabis laudabiliter.

}

Tam verò potionibus, quàm pillulis & electuario purgatur corpus, Luna existente in Libra, Aquario, Sagittario & Geminis, cum beneuolorum aspectu.

Et hæc de purgationibus & curationibus internis; de externis nunc agemus.

Purgationes externæ sunt, quæ extrinsecus adhibentur, vt sunt balneæ, tonsura capillorum & vnguium resectio.

Lauacra autem vel suscipiuntur sanitatis, vel purgandi corporis gratia.

Posterius commodè fit Luna existente in

Libra, aut Piscibus, cum amicorum aspectu beneuolo.

Si sanitatis gratia lauatio corporis eligatur, qualitas morbi erit perpendenda. Ea autem est vel sicca, vel humida.

Si morbus natura siccus, tunc in signo humido, Aquario, Piscibus aut Cancro fieri debebit, cum testimonio tamen Iouis & Veneris.

Si verò humiditate redundet, in signo terreo, Virgine, Tauro & Capricorno, teste radio beneuolo Solis aut Martis, Luna existente, curatio cuticulæ eius suscipienda.

In crinibus præcidendis perpendendũ, num citiùs an tardiùs renasci debeant.

Crines enim, vt cum decore renascantur, tondendi sunt crescente Luna in Sextili aut Trigono Iouis aut Veneris, in signis pilosis Tauro, Scorpione & Libra, imprimis verô maleuolorum radij sunt vitandi.

Vt tardius renascantur, Luna decrescente in Cancro Scorpione, Piscibus & cauda Capricorni, cum aspectu amicabili Mercurij aut Solis iidem sunt præcidendi.

Vnguium autem resectio commoda eligitur crescente Luna, eaq; existente in Ariete, Leone, Tauro & Libra, cum testimonio Veneris aut Solis amicabili.

His maximè affinis est puerorum ablactatio, ea verò idonea est, Luna existente in Ca-

Capricorno, Geminis, Aquario & Scorpione, maximè si sit sine omni aspectu & proxima Plenilunio. In hac tamen ipsa electione vitandi maleuolorum aspectus sunt. Superstitiosioribus obseruationibus lubens supersedeo.

Ad externam quoq; curationem spectat curatio oculorum, quæ commodè eligitur Luna discurrente in Cancro, Geminis, Aquario, Tauro, Piscibus, Sagittario, Virgine & Libra, à beneuolo radio Iouis aut Mercurij bene affecta.

Et hæc de Electionibus: restat vt de morbis & incendiis agamus.

De Morbis.

Morbi caussantur à qualitate aëris.

Ea autem aut ad siccitatem declinat, aut ad humiditatem.

Prædominans siccitas generat febres acutas capitis dolores, difficultates intestinorum & vrinæ.

Humiditas verò producit febres putridas, diuturnas, alui profluuia, catharros, anginas, Apoplexiam.

Hi tamen omnium optimè ex prædominio ventorum colliguntur.

Subsolanus enim ab Ortu flans æstate media, vbi feruescit Sol, æstum excitat ac

flauam bilem accendit, ex cuius inflammatione febres ardentes pullulant. Hyemali tempore, vt & Verno plerunq; salubris, auidius tamen attractus parit catharros & defluxiones.

Eurus æstate ardentes febres excitat, & grassante aliquo morbo populari, vt illo spirante adsolet, carbunculos, tumores contagiosos in inguine & sub alis parturit, rubentesq́; pustulas, atque exanthemata, quæ in extima cute efflorescunt & ebulliunt. Hyberno tempore hic ventus intensissimum frigus adfert, quod nix plerunque aut rigidissimæ pruinæ subsequuntur, adeò, vt qui huic vento se exponunt, ægrè nares, faciem oculos, genas à penetrabili, vrentiq́; frigore tueri possint.

Euronotus turbulentior adfert melancholiam.

Flante Austro calido & humido, terra madescit imbribus, quo fit, vt corpora promptissimè putrescant, atq; humorum corruptelas concipiant, catharros excitat & defluxus in fauces, vocalem arteriam & pulmones, hinc raucedines, tusses, morbi comitiales, vertigines, læthargus, apoplexia, lippitudines, surditates, aurium tinnitus. Diuturno flatu grauidæ abortiunt, & partum excutiunt, obortoq́; modico profluuio periclitantur, præsertim vbi post siccitatem

ac

ac squalores humida tempestas inciderit, quæ cùm siccis & biliosis corporibus non incommoda, tum pituosis atq; humidis, nempe pueris & mulieribus, qui palustria loca inhabitant, cum primis noxia, eoque fit, vt infantes atq; impuberes inexplicabili tussi infestentur, nullis induciis respirandi admissis.

Collaterales Austri occasum versus parem efficaciam cum eo obtinent.

Fauonius ineunte Vere salubris & suauis est, in Autumno verò idem quod Auster operatur.

Circius, Corus, Trascias, duabus anni partibus potissimùm vigent, declinante Autumno, & aduentante Vere, præsertim mense Martio, quibus temporibus nymbos grandines, procellas & fulmina è sublimi deiiciunt. Et tunc articulis, neruis, musculis membranis, tendinibus, puncturas, rigores contractiones, palpitationes, lassitudines vlcerosas accumulat.

Septentrio hyberno tempore flans, catharros excitat, pleuritides & anginas.

Hos ventos euocant Planetæ, eorundemq; Asterismi.

Saturnus mouet orientales, Venus verò meridionales, occidentales Mars, Iupiter Septentrionales salubres. De modo concitandi suprà diximus.

Pestem generat aër putrefactus, maximè ab Austro impulsus: Hunc impellit & disponit Saturnus in signo igneo aut terreo, reliquis duobus superioribus in iisdem constitutis.

Incendium vltimò caussat Mars, dominus anni, vt & eiusdem ad Iouem aspectus in signis igneis aut aëreis. De hisce verò effectibus cùm satis in ipso egerimus Enchiridio, hic subsistemus, & pedem figemus.

Quod iudicium Genethliacum attinet, cùm maximis superstitionibus & impietatibus scateat, cuiquam homini Christiano non esse intimandum arbitror.

Restat, vt de Eclypsibus agamus.

Eclipsis autem est, interceptio luminis luminarium.

Eaque duplex est: Solaris & Lunaris.

Solaris est interceptio radiorum Solarium ex interpositione Lunæ inter Solem, & visum nostrum caussata.

Hanc plerunq; magnę esse considerationis volunt Astrologi.

Lunaris est interceptio luminis in Luna ob interpositionem terræ, tanquam intercipientis inter Lunam & Solem oborta.

Perperàm itaq; definitur Eclipsis priuatio: cùm eo modo definita non quadret Eclypsi Solis, quæ non est priuatio, nec πᾶς, multò minùs ἁπλῶς, sed interceptio luminis,

nis, quod hoc modo demonstratur.

Priuatio est carentia rei bonæ in subiecto habili ad suscipiendum. Ast Eclipsis Solis non est carentia radiorum solarium in ipso Sole. Sequitur itaque, Eclipsin Solis non esse priuationem.

Minor est per se. Ast priuationem esse quo ad nos, eò quòd priuemur aspectu Solis, affirmo. Verùm quis illam priuationem veram dicet? cùm in definitionibus homonymiam generis vitandam esse didicerimus.

Harumq; vtraque est vel totalis, vel partialis.

Totalis est, quæ totum corpus; Partialis, quæ partem occupat.

Hæc pro ratione vmbræ varia apparet.

Vbi enim Sol remotior à terra, densiores plerunque sunt vmbræ terrestres: contrarium in Propinquitate statuendum. Quo profundiùs itaq; Luna vmbræ immergitur, eo minus luminis habet, & eo ferè omni destituitur, vnde nigerrima apparet.

Si verò vmbrę terrestris oram modó strinxerit, aut non longè ab ea absit, luminis ambientis resplendescentia colligitur in corpore Lunari, variumque colorem, quem suprà venari docuimus, præsentat.

De effectu harum multum laborant Astrologi.

Considerant verò primó modum venandi effectus, deinde principium ac durationem operationis eiusdem.

Venantur effectus primò ex loco defectionis, deinde veró ex Domino Eclipsis.

Dominus Eclipsis eligitur ex themate mediæ Eclipsis.

Quamuis autem multum inter se de erectione & configuratione domiciliorum cęlestium, eorumq; descriptione disceptent, expeditus tamen modus is mihi videtur, qui habetur medio Astrolabij eleuationem Poli tui habentis.

Inquires enim minutum Solis & gradum tempore Eclypsis, eumq; tempori mediæ Eclipsis in lymbo Astrolabij aptes: postea verò singularum domorũ principia & gradus signorum cœlestium, his comprehensos obserues, tuoq; themati inseres, cui demum loca Planetarum ex Ephemeridibus ad tuum tempus excerpta addes.

Taliter constituto themate, elige Dominum, eumq; Planetam præfer reliquis, qui fortior ratione essentialium dignitatum est, spreto modo Ptolomæi licèt antiquo, ex quatuor cardinalibus signis eligentis Cronocratorem.

Planetarum vèrò aliquis in themate tuo, aut in angulorum aliquo reperitur, aut non reperitur.

Prio-

Priore casu, si plures sint in angulis, angulus angulum vincit, deinde & is superior euadit, qui potentior est: si ęquales, ex æquo diuidetur præfectura inter eos.

Si verò vnus modò in angulo sit, cæteris veró extrà constitutis, tunc is aut & anguli & validioris aspectus prærogatiua, aut anguli modò priuilegio præfertur. Priore casu simpliciter obtinet victoriam : Posteriore verò modo partiliter administrat plerunq;.

Si nullus reperiatur in angulis, tunc aut vnus imperat, si reliquis superior, aut plures, si paritas dignitatum inter hosce erit.

Dominium autem sortitur vel maleuolus, vel beneuolus, vel dubius.

Maleuoli sunt Saturnus & Mars : ille nimium refrigerat, hic verò exurit; ambo inimici naturæ, illo calido natiuo, hoc verò humido radicali infenso. Mars plerunque impetuosus ac fulmineus est, terram concutit, choleram concitat, seditiones & bella mouet, febres tertianas, sanguinis eruptionem morbos acutos, violentosq; producit morbos. Saturnus pestem, morbos diuturnos, catharros, tabes, febres quartanas, terrores, luctus, & angustias procurat: exitium senibus minatur, ob nimium frigus, quo reliquum, quod inest senescentibus corporibus caloris natiui, extinguitur, humidum verò concrescit. Brutis animantibus inter-

necionem adfert. In signo aëreo factæ Eclipsis Dominus, excitat frigus horridum, nebulosum verò tempus & pestilens, tempestates aduersas, nubes densas, caligines, niuisq; magnam vim portendit. In aquaticis piscium penuriam, exundationes, nymbos & grandines pollicetur.

Mars morbos ex cholera, æstuantesq; febres minatur.

Beneuoli sunt Iupiter & Venus: qui plerunque homini fœlicia, temperatissimumq; aërem significant, noxiis veró animalibus exitium adferunt.

Ambiguus est Mercurius, qui ventos & procellas exagitat, febres quotidianas, morbos siccos, tussim, tabemq; creat.

Verùm & locus luminaris eclipsati considerandus: secundum enim eius naturam plerunq; immutatur tempestas.

Aërea significant aërem nonnunquam, semina contagiosi spargunt morbi, aquea inundationes, vt & aërea ventorum procellas: Ignea siccitates & calores, ingentes & insalubres æstus: terrea frigus minantur perniciosum.

Domicilium thematis quo ad qualitatem ab Astrologis adscriptam negligendum, cũ quidquid id sit, humanam potiùs sapiat superstitionem.

Quorsum ergo thematis descriptio pertine-

tinebit? primò ad Domini electionem, secundò, vt quasi vnico fasciculo totam sphęræ cœlestis tempore luminaris eclipsati habitudinem ante oculos positam habeas, Planetarumq; ad inuicem aspectus, & locum Eclipsis inde eruere, sobrieq; de Eclipsium euentibus possis pronunciare.

De principio operationis ambigimus. Ratio tamen nulla est, cur non posita caussa efficiente ponatur effectus: statim ergo & experientia edocti operari statuo.

Non autem quidquid contingit præter communem ordinem naturæ statim temerè Eclipsi præcedenti adscribendum est; sed id demùm, quod videmus immediatè caussa posita poni.

Sed quid de tempore durationis? in eius certè venatione non ad horas, verùm ad caussas caussantes & concurrentes puto respiciẽdum esse: quæ si validæ, operationem continuant & adiuuant: si imbecilliores aut nullæ, imbecilliorem minusq; diuturnum effectum promittunt.

Ergo Eclipsi vt caussæ, qualitatem aëris, vt effectum, proportionaliter respondere ratio summa est.

Hanc in certam regionem, nisi inspecta complexione generali incolentium, lociq; qualitate diligenter excussa, dirigere infulsum est: quod si à quibusdam animaduerte-

retur, meliùs cum arte actum esset hacte-
nus: realitatem ergo in præceptis desiderat
studiosus Astrologiæ.
Ex quo liquet, quid de collocatione ci-
uitatum, vrbium, locorumq; sub Zodiaci si-
gnis sentiendum sit. Plerunq; enim supersti-
tiosi Astrologi violentas iniiciunt manus
hypothesibus Astronomicis.
In genere tamen sciendum, Solarem Ecli-
psin Lunari esse efficaciorem, vti quæ præ-
stantioris luminis præsentia elementaria
priuet.
Significatio quæ ex colore corporis ecli-
psati venatur & extorquetur, vana est: ete-
nim cùm caussa eius sit densitas aut raritas
vmbræ, singularem influentiam luminari
neutiquam adfert, nisi id fiat per quandam
consequentiam.
Et hæc de Eclipsi.
Ex his omnibus Astrologi nunc de fœcũ-
ditate terræ pronunciant. Qui enim opti-
mè de singulis diebus, eorumq; qualitate &
habitudine iudicat, eidem de vniuerso an-
ni statu dextrè pronunciare difficile non
erit.
Pruinæ in vere eiusque medio sunt perni-
ciosæ, exitium vitibus minantur, nucumq;
raritatem promittunt.
Humiditas abundans florentes arbores
impedit, incidens veró proterit, quia frigo-
ris

is hyberni reliquiæ nondum penitùs à calore confectæ & victæ recrudescunt.

Ventosum & frigidum Ver germinibus adfert perniciem.

Siccitas veró tollerabilior est, tempestuosum Ver & coruscans floribus exitium minatur, & grandines plerumq; generat.

Omnium optima cœli constitutio tunc temporis calida & moderatè humida est: de morbis suprà diximus.

Æstas sicca & calida generosum producit vinum, deque copia frumenti promittit aliquid : grandinosa & ventosa multis in locis deuastat agros, & deiicit frumentum. Coruscationibus crebris referta viribus perniciem minatur. Calida & humida putredinem fructibus infert, & morbosa plerunque: pecoribus verò noxia existit.

Autumnus siccus & subfrigidus optimus est, nimium calidus sementi perniciosus, frigidus admodum arationem impedit, frigidus & niuosus aut humidus terram concludit, & operibus rusticis inopportunam reddit tempestatem: vino veró adfert aquositatem.

Hyems humida & subcalida aërem pesti obnoxium reddit, suffocationem verò frumenti pollicetur ex nimiis inundationibus. Niuosa & frigida optima. Ea enim lanam spargit, frumentumq; tegit & con-

ſeruat. Ventoſa & ſicca plerunque flatibus Borealibus, aut Orientalibus peruia, frumenti inopiam promittit, ſaluberrimum veró annum efficit; quam ſi inſequatur annus calidus, fœni caritatem ob defectum humoris indicit. Etenim tempore hyemali terra pluuiis & niuium liquore irrigata, pręparatur ad futurum calorem, quo exteriora terræ concludente, ſtirpes & plantæ hyberno ex concepto humore aluntur.

Hæc omnia ex diligenti menſium inſpectione facilè venaberis: hoc verò modo eſt tibi procedendum. Conſidera primò diligenter qualitatem menſis, in quaque quarta anni is conſtitutus ſit, deinde num in eo Mars & Mercurius, tempeſtuoſi Planetæ, in tranquillis reperiantur ſignis lociſq;, & citra ventorum vehementiam tranſigant mẽſem, ex eo enim dextrè elicies, num menſis ſit futurus ventoſus, an verò tranquillus. Si idem Mars cum auxilio Veneris & Solis in locis ſuæ naturæ conformibus fuerit, pluuias minabitur, quas plerunq; tempeſtuoſis corpore iunctus excitat. Metue veró tempeſtates in Vere, ſi in Tauro, Geminis & Cancro fuerit, non tamen neglectis concauſsis.

ruinas Saturnus etiam medio Maij generat, ſed id aut cum Sole, aut ipſo Marte, Luna teſte.

Niui-

Niuium genitores sunt asterismi Saturni Venerei, item Martiales, stellæq; calidæ, cũ quibus Planetæ si congressi fuerint, vim earum excitant. Si nil tale appareat, prædic tempus serenum in Vere, in æstate verò serenum & calidum, in hyeme frigidum & flatulentum, in autumno autem nebulosum & serenum. Nebulas generat Mars & Saturnus, horumq; stellæ. Verùm cùm hęc fusiùs superiùs fuerimus persecuti, hîc subsistemus, & mox manum operi imponemus vltimam.

Et hæc quidem hactenus de fundamentis prædictionum Astrologicarum, veraque ratione venandi easdem sat dictum: nunc veró res ipsa requirere videtur, vt Ephemeridum verum intellectum, diuersitatem annorum, & si quæ sunt alia, de quibus schola Astrologorum enixè laborat, exponamus: & primó quidem differentiam bissextilis & communis anni aperiemus.

De anno Bissextili & Communi.

IVLIVS Cæsar, cùm certo dierum horarumq; numero includeret annum, eundem dierum 365. & 6. horarum esse voluit: quia verò sex illæ horæ singulis annis diem minimè efficiebant, quarto quolibet anno

collectas adiicere decreuit, 'qui annus propterea dictus est bissextilis, eo quod bis, hoc est, duobus diebus continuis numerarent Romani sexto Calend. Mart. duos videlicet dies pro vno computantes. Huius itaq; diei intercalatio differétiam inter annos hanc constituit, vt is, qui 365. diebus constaret communis, is veró qui 366. conficeretur, bissextilis diceretur.

Hæc annorum discrepantia in Calendariorum compositione diligentissimè obseruãda est: multum etenim conducit, cùm ad numerum dierum, tum veró ad festorum mobilium stata tempora, scire, qui annus communis, qui denique bissextilis sit. Differentiam autem hanc colliges, si numerum annorũ propositorum diuiseris per quaternariũ: nam diuisione facta, si nil remanserit, annus ille bissextilis erit. Sin veró vnitas superfuerit, proximum à bissextili; si binarius secundum; si ternarius, deniq; tertium prædicabis.

Continet autem bissextilis, vt iam dictũ, 366. dies: qui intercalaris dicitur, interserendus est 24. die Februarij, qui mensis aliàs 28. anno bissextili veró 29. diebus constat. Ideo verò Februarius huic intercalationi aptissimus visus est, quia & paucos dies haberet, & vltimus mensium existeret.

Verùm cùm à Iulio Cæsare sex illæ horæ com-

complete singulis annis assumerentur, euenit, vt cùm tanta magnitudo anni non esset, Antonius Lilius & Aloysius fratres germani ex Petri Pitati Veronensis libro, quem de Paschatis solẽnitatis recognitione ad Pium quartum Pontificem, & Concilium Tridentinum scripsit, auctoritate Gregorij decimi tertij Pontificis Maximi hunc errorem emendarent, notasque vulgares annorum nonnihil corrigerent. Annum illi incluserunt diebus 365. horis 5. min. 49. secund. 12. ex cuius magnitudine apparebat, singulis quadringẽtis annis Iulianis, diebus 146100 constantibus, tres intercalares dies omitti, quæ ratio est, quod Gregorianum Calendarium decem dierum anticipatione à Iuliano differat. Et hæc de differentia annorum.

De litera Dominicali.

Litera Dominicalis variat quotannis, eo quod supra quinquaginta & duas septimanas dies vnus adiungatur: bissextilis annus deinde huius variationis caussa partim existit, in quo itidem dies vnus supra septimanas quinquaginta & duas additur.

Ideo autem vocatur litera Dominicalis, quia diei Dominico inueniendo & designando inseruit.

Duplex autem est litera apud Astrologos. Nominata & Innominata.

Nominata est, quæ ex die, cui apponitur, certum recipit nomen: talis est sola illa, quę diei Dominico præfigitur, vocaturq; litera Dominicalis.

Inuenitur autem litera Dominicalis, si obseruaueris eam quotannis vergere in antecedentia, hoc est, ab A in G, ab F in E, & ita consequenter.

In anno autem bissextili litera Dominicali vtimur duplici, quarum priorem inseruire tempori ante festum Matthiæ, posteriorem reliquis anni diebus constat.

Inuentio posterioris dependet à priore: Nam inuēta priore, posteriorem hoc modo inuenies. Notandum, quem in diem incidat dies intercalaris, hunc vt & insequētem festo D. Matthiæ consecrato eadem notabis litera, proximo die Solis ordo literarum aperit alteram Dominicalem literam: verbigratia.

Februarius anni bissextilis.

19	A	LX.	Dominica	7. dies est.
20	b	dies 11. hor.	Lunæ	
21	c	Symachus	Martis	
22	d	Cathedr. Pet.	Mercurij	
23	e	Serenus	Iouis	
24	f	dies intercal.	Veneris	
25	f	Matthias	Saturni	
26	G	Quinquages.	Dominica	
27	a	Nodosius	Lunæ	

Ex quo exemplo apparet, posteriorem literam Dominicalem esse G. Pari opera laborabis in anno Gregoriano.

Innominatæ literæ sunt, quæ nomen nõ recipiunt, quales sunt eæ, quæ cæteris diebus septimanæ adscribuntur.

Literarum autem illarum, quarum vtuntur Astronomi & Astrologi operâ, sunt septem: A, B, C, D, E, F, & G: quarum A semper sibi primum diem Ianuarij vendicat, B secundum, & ita consequenter: idque vtrobique.

Solus autem intercalaris dies efficit, vt sibi & insequenti eadem adpingatur litera.

Intercalaris autem dicitur ab intercalando, quod inter 23. & 25. Februarij intercaletur, Germanis à promotione festorum dictus Schalttag. Promouet enim hic dies omnia festa in insequentem diem, quod

ſtatim ex feſto D. Matthiæ videre difficile non eſt.

De Cyclo Lunari, ſiue aureo numero, Germ. Güldenzahl.

Cyclus Lunaris, ſeu decemnouennalis (à nouendecim ita dictus) eſt ſpacium temporis, complectens nouendecim annos, quorum notas vocitant vulgó aureos numeros, eo quod aureis literis à veteribus Alexandrinis argenteis tabulis inſcripti, transmittebantur Romanis, hacq; periodica reuolutione nouendecim annorum veteres Lunationes, id eſt, nouilunia, plenilunia, & quadraturas, ad ſua principia redire iudicabant.

Inuenitur vero aureus numerus, ſi numerus annorum Chriſti vnitate addita diuidatur per nouendecim, (natus etenim eſt Chriſtus primo anno Cycli decemnouennalis) & quicquid facta diuiſione in quotiente prouenerit, integras Cycli Lunaris ſeu decemnouennalis reuolutiones oſtendit. Id veró quod poſt diuiſionem remanſerit, diuidiq; nequit, aureum numerum exhibet, qui quotus ſit annus Chriſti, oſtendit.

Si veró poſt diuiſionem inſtitutam nihil remanſerit, vt anno Chriſti 1595. periodus totius

totius Cycli, hoc est, nouemdecim assumenda; agitur enim tunc postremus annus Cicli decemnouennalis: verbi gratia: Anno dato 1604. addatur secundum superiora præcepta vnitas, & diuidatur, totus per nouendecim, remanebuntq; nouem, qui constituent numerum aureum anni propositi: quotiens 84. aperit toties Cyclum Lunarem reuolutum: exempla sic stant.

Exemplum Anni 1604.

4
8 8 (9 Aureus numerus.
1 6 0 5 (84 reuolutio Cycli Lunaris.
1 9 9
1

Exemplum Anni 1595.

3
7 7
1 5 9 6 (84 toties reuolutum Cyclum Lunarem indicat hic numerus.
1 9 9
1

Et quia nihil facta diuisione restat, assumendus totus Cyclus Lunaris, qui est 19.

Et hæc de Cyclo Lunari.

De Cyclo Solari,

Germ. Sonnencirckel.

Cyclus Solaris est circulus viginti octo annorum, ita dictus, non quod ostendat Solis motum, sed quòd exhibeat literam Dominicalem, siue diei Solis, tum communis, tum noui bissextilis anni, vt ex subiecta tabula videre licet.

Tabula Aurei numeri, & literæ Dominicalis.

Aureus numerus.		*Litera Dominicalis,*	
	1	GF	bissextilis
	2	E	communis.
	3	D	communis.
	4	C	communis.
	5	BA	bissext.
	6	G	commun.
	7	F	commun.
	8	E	commun.
	9	DC	bissext.
	10	B	commun.
Dato aureo numero anni propositi datur statim è regione litera Dominicalis.	11	A	commun.
	12	G	commun.
	13	FE	bissext.
	14	D	commun.
	15	C	commun.
	16	B	commun.
	17	AG	bissext.
	18	F	commun.
	19	E	commun.
	20	D	commun.
	21	CB	bissext.
	22	A	commun.
	23	G	commun.
	24	F	commun.
	25	ED	bissext.
	26	C	communis
	27	B	communis
	28	A	communis

Inue-

Inuenitur autem is hoc modo : Annis Christi datis addenda nouem, Christus enim natus est anno Cycli Solaris nono, collectus diuidendus per 28. numerus in quotiente indicat, quoties Cyclus à Natiuitate Christi sit reuolutus, residuum diuisionem effugiens erit numerus Cycli Solaris anni propositi: sin autem nihil post diuisionem restet, vltimus Cycli Solaris scilicet 28. agetur annus, vt contigit anno 1605. Rem duobus exemplis, quorum prius anni 1604. posterius veró anni 1615. quæ sic habent, demonstrabimus.

Exemplum anni 1604.

(1
2 7 (7 Cyclus Sol. anni propositi
1 6 1 3 (57 reuolutiones Cycli Sol.
2 8 8
2

Exemplum anni 1615.

6
1 6 2 4 (58 reuolutiones Cycli Solar.
2 8 8
2

In priore exemplo Cyclus Solaris est 17, in posteriore verò cùm nil remanserit, post peractam diuisionem assumendi erunt 28, qui anno 1615. continent Cyclum Solarem.

De Indictione.

Indictio est numerus annorum quindecim, exhibens annum quo apud Romanos tributa inferri solebant: eius præcipuum munus erat significare, quotus sit annus post tributorum solutionem.

Huius Cycli Indictionalis numerus sic inuenitur. Ad annos Christi datos addatur ternarius (Christus enim Indictione tertia natus esse dicitur) productus diuidatur per quindecim, residuum Indictionis Romanę numerum ostendit: quotiens verò integras Cycli Indictionalis periodos exhibet. Si nihil post diuisionem remanserit, periodus totius Cycli Indictionalis, nempe 15. adsumenda. v. g.

Exemplum anni 1604.

```
  1 3 (2 Indictio.
1 6 0 7 (107 Reuolutio Cycli In-
1 5 5 5          dictionalis.
  1 1
```

Exemplum Anni 1593.

```
    3 (6 Indictio.
1 5 9 6 (106 reuolutio Cycli In-
1 5 5 5          dictionalis.
  1 1
```

De Epactis.

Epactæ sunt dies, quibus annus Solaris communis 365 dierum, annum Lunarem communem 334 dierum excedit.

Inueniuntur autem illæ hoc modo: Aureus numerus anni propositi multiplicetur per 11 & productum diuidatur per 30. residuum Epactas anni Iuliani propositi ostendit.

Si ex ductu 11 in aureum numerum, minus quàm 30 producantur, erit is numerus Epactarum: & hoc quidem in Iuliano obtinet anno, cuius exemplum subiiciemus: Anno 1604 aureus numerus est 9. hic multiplicatus per 11 ita stat:

11 9 ——— 99 factus.	Factus 99 diuisus per 30 ita se habet. (9 Epactæ 99(3 30

Itaque post diuisionem institutam relinquitur nouenarius, qui anno 1604. constituit Epactas.

Pro anno Gregoriano detrahuntur decem vsque ad annum 1700, residuum Epactas dabit.

Verùm cùm hoc non vnicuique obuium sit, rem duabus explicabimus regulis.

Prima: Si ex diuisione multiplicati aurei numeri per 11, residuus numerus sit denario maior, fit subtractio, & residuus dat Epactas in Calendario Gregoriano, vt, aureus numerus sit 13. hic multiplicatus per 11. stat ita:

1 3	Factus diuisus per 30
1 1	ita habet:
———	(2 3 Epactæ Iulianæ.
1 3	1 4 3(4
1 3	3 0
———	
1 4 3	

Remanent peracta diuisione 23 vicem habentes Epactarum in Calendario Iuliano, ex his si detrahas 10, relinquentur Epactæ anni Gregoriani.

Secunda: Si verò ex diuisione inita minor sit residuus denario, additur is diuisori, & fit subtractio, residuus dat Epactas anni Gregoriani. v. g. Anno 1604. aureus numerus est 9, hic multiplicatus per 11 ita stat.

1 1	Factus diuisus per 30
9	ita habet.
———	(9
9 9 factus.	9 9(3
	3 0

In hoc exemplo nouenarius, qui diuidi nequit, additur diuisori 30, totum præbet

39, ex

29, ex hoc numero si decem subtraxeris, remanebunt anni Gregoriani Epactæ.

Et hæc de Epactis.

De Festis mobilibus, Interuallo minori & maiori.

Festa mobilia habent nomen ex eo, quod quotannis de die vno in alium moueantur, cùm fixa semper eodem die recurrant.

Ea dependent ex solennitate Paschali, quam dies Dominica siue Solis semper excipit.

Pascha verò Concilium Nicænum teste Eusebio lib. 7. cap. 32. proxima à Plenilunio Dominica in Martio, vbi Sol primam cæsuram Solaris, vel vt quidam ipsorum nominant, signiferi circuli transiuit, (si modó duorum dierum interuallum intercedat) coli & celebrari voluit. A quo tamen Nicæni Concilij statuto & decreto hodie videas passim Calendaria aberrare : satis id euincit annus 1603, quo Pascha 20 Martij celebrari debuisset, cùm tamen in 24 vsque Aprilis eius celebratio fuerit dilata.

Verùm in tanta diuersitate ne aberremus, festa mobilia ex Dominica Esto mihi computari commodè possunt. Esto mihi veró Dominica in veteri Iuliano Calen-

dario diem Dominicam proximum, qui sequitur nouilunium apparens post festum Purificationis Mariæ, occupat.

In nouo Gregoriano hæc regula non obtinet, verùm interuallum minus ex Epactarum & literæ Dominicalis ratione dependet.

Interuallum autem minus est numerus hebdomadarum & dierum interceptus inter Natalem Domini & Dominicam Quinquagesimæ, seu Esto mihi.

Maius verò interuallum Dominicas post Trinitatis occurrentes complectitur.

Verùm vt & in nouo Calendario indagemus Quinquagesimam, ingrediendum nobis cum Epactis Gregorianis & litera Dominicali in insequentem tabulam, in qua è regione interualli minoris quantitatem, in diebus & septimanis adnotatam habemus: quo habito facilimo negotio, computatione à Natiuitate Christi prioris anni instituta locum eiusdem reperiemus Dominicæ.

Prior columna literam Dominicalem, altera Epactarum cyclum, tertia interuallum minus demonstrat.

Tabula

Tabula Interualli minoris conueniens Calendario Gregoriano.

Litera Domin.	*Cyclus Epactarum.*							*Interuall. min.*	
A	23	22	21	20	19			0	0
	18	17	16	15	14	13	12	7	0
	11	10	9	8	7	6	5	*8	0
	4	3	2	1	*	29	28	9	0
	27	26	XXV.25	24				10	0
B	23	22	21	20	19	18		6	1
	17	16	15	14	13	12	11	7	1
	10	9	8	7	6	5	4	*8	1
	3	2	1	*	29	28	27	9	1
	26	XXV. 25	24					10	1
C	23	22	21	20	19	18	17	6	2
	16	15	14	13	12	11	10	7	2
	9	8	7	6	5	4	3	*8	2
	2	1	*	29	28	27	26.XXV	9	2
	25	24						10	2
D	23							5	3
	22	21	20	19	18	17	16	6	3
	15	14	13	12	11	10	9	*7	3
	8	7	6	5	4	3	2	8	3
	1	*29	28	27	26	XXV.25	24	9	3
E	23	22						5	4
	21	20	19	18	17	16	15	6	4
	14	13	12	11	10	9	8	*7	4
	7	6	5	4	3	2	1	8	4
	*	29	28	27	26	XXV.25	24	9	4

Litera Domin.	Epactarum Cyclus.							Interuall. minus.	
F	23	22	21					5	5
	20	19	18	17	16	15	14	6	5
	13	12	11	10	9	8	7	7	5
	6	5	4	3	2	1	*	8	5
	29	28	27	26	xxv.	25	24	9	5
G	23	22	21	20				5	6
	19	18	17	16	15	14	13	6	6
	12	11	10	9	8	7	6	7	6
	5	4	3	2	1	*	29	8	6
	28	27	26	xxv	25	24		9	6

Habita Dominica Esto mihi, siue Quinquagesimę, ab eadem numerantur sex hebdomadæ & occurrit Dominica Palmarum, proxima deputata Paschati. Hinc à Paschate ad Dominicã quæ vocatur Quadragesima, siue ab Ecclesiastica cantione Inuocauit, retrò numerãtur hebdomadæ sex, ac inter Pascha & Quadragesimam Dominicę interiacentes singularia quoq; in Ecclesia veteri obtinuerunt nomina. Proxima enim Dominica ante Pascha vocatur, vt iam diximus Palmarum, dehinc Iudica, postea Lætare, Oculi, Reminiscere, ac tum Inuocauit: hanc antecedit Esto mihi, siue Quinquagesima, in cuius feriam quartam incidit dies Cinerum, der Eschermittwochen / qua analogia proximè antecedens Sexagesima, dehinc

Sep-

Septuagesima, tertia scilicet ante Dominicam Inuocauit. A Dominica autem Esto mihi (nostris Herren Faßnacht / ab euacuatione doliorum & vasorum vinariorum minimè, verùm ieiunio insequente ita dicta, vt videtur velle D. Ambrosius in c. denique sacerdotes, distinct. 4. his verbis. De ipsa verò die dominica hæsitamus, quidnam dicendum sit, cùm omnes laici & seculares illa die plus solitò cęteris diebus accuratius cibos carnium appetant, & nisi noua quadã auiditate vsq; ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sacri temporis obseruationem suscipere putant: &c. contrarium tamen & consuetudo, & Latina huius Dominicæ appellatio, quę Bachanaliorum est, exposcit. Bachum enim vini præfecturam suscepisse, adeoq; vinum significare nemō nescit. Ideo verò dominorum Bachanalia dicuntur, quia sacerdotes, diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Ecclesiastici gradus exornat, à Quinquagesima siue Dominica Esto mihi, propositum ieiunandi suscipiunt, quò & aliquid ad pensum sanctę institutionis adiiciant, & eorum qui in laicali ordine consistunt, obseruantiam sicut loco, ita religione præcellant: quod Telesphorus Pontifex Romanus decreuit in c. statuimus. distinct. 4. Hinc ideo iuuenum, mox omnium laicorum sequuntur Bacha-

nalia:aſt ad rem) dies, qui ad natalem Chriſti præcedentis anni retrò numerantur, interualli minoris nomen habent, quod modó ex integris ſeptimanis conſtat, ſi Natalis Chriſti inciderit in diem Solis; modó ex ſeptimanis & diebus, qui concurrentes appellantur, cùm Natiuitatis Chriſti feſtum non præcisè in diem incidit Dominicam.

A Paſchate verò, quæ ſequuntur Dominicæ, tanquam feſta mobilia ſuis inſigniuntur nominibus. Prima Quaſimodogeniti, aut Dominica in Albis, ſecunda Miſericordias Domini, tertia Iubilate, quarta Cantate, quinta Vocem iucunditatis, atque hæc à Paſchate Sexta, ſeptimana Dominica Rogationum dicitur, eiuſq; feria quinta, nimirum die Iouis, Aſcenſionis Domini feſtum celebratur, Germanis, die Auffart. Dominica ſequens vocatur Exaudi; hanc ſequitur dies quinquageſimus, quo Apoſtoli Spiritũ ſanctum à Chriſto ſibi promiſſum receperunt, Pentecoſteſque dies dicitur. Proxima eſt Trinitatis, in cuius feriam quintam incidit feſtum, quod Corporis Chriſti, German. Fronleichnam/appellant. Cæteræ deinceps Dominicæ, prima, ſecunda, tertia Trinitatis dicuntur, & ſic deinceps, quota nimirum quæque eſt poſt Dominicam Trinitatis in Aduentum vſq; Domini.

Aduentus Domini quatuor Dominicas proxi-

proximas ante festum Natiuitatis Christi complectitur. Prima autem Aduentus Dominica, quæ nimirum post Trinitatis Dominicas proximè sequitur, est proxima Dominica ante diem Barbaræ, aut quæ propinquior est festo D. Andreæ, nimirum Dominica quæ incidit post diem 26. Nouembris, & ante 4. Decembris. Tempus verò inter Pentecosten & primam Dominicam Aduentus interiectum, Interualli maioris appellationem sortitur.

Et hæc de Festis mobilibus.

De Festis immobilibus.

Festa immobilia dicuntur, quæ fixum mensis certi diem occupant, ab eoque nunquam dimouentur, opponunturque Mobilibus. Præstantissimum autem inter illa est festum Natiuitatis Christi, quod semper vbique in vicesimumquintum diem Decembris incidit, vicesimum sextum occupat Stephanus, vicesimumseptimum Ioannes Euangelista, vicesimus octauus consecratus est Infanticidio, penultimus Dauidi, vltimũ eiusdem occupat Syluester, annumq; veterem claudit, reseratq; nouum.

Primus Ianuarij Circuncisionis est, sextus Epiphaniæ, decimus quartus Felicis, decimusoctauus Priscæ, vicesimus Fabiano

& Sebastiano, vicesimus primus Agneti, vicesimus secundus Vincentio, vicesimus quintus Conuersioni Pauli, vicesimus sextus Ianuarij Polycarpo destinatus est dies.

Primus Februarij Brigittæ, insequens mox Purificationi Mariæ, tertius Blasio, quintus Agathæ, sextus Dorotheæ, nonus Apolloniæ, decimus sextus Iulianæ, vicesimus secundus Cathedræ Petri, vicesimus quartus festo Matthiæ in anno communi, in bissextili vicesimo quinto eidem consecratus est.

Martij dies quartus Adrianum, duodecimus Gregorium, decimus septimus Gertrudem, vicesimus quintus Annunciationem Mariæ excipit.

Aprilis diem decimum quartum Tiburtius, vicesimum tertium Georgius, vicesimum quintum Marcus, vicesimum verò octauum Vitalis occupat.

Maij primum Philippus & Iacobus, tertium Inuentio Crucis, insequentem mox Florianus, quintum Gothardus, duodecimum Pancratius, decimumtertium Seruatius, decimum quintum Sophia, vicesimum Bernhardus, vicesimum quintum Vrbanus, vltimum eiusdem Maij diem Petronella occupat.

Primum Iunij Nicomedes, sequentem mox Marcellinus, tertium Erasmus, quintum

tum Bonifacius, octauum Medardus, decimum quintum Vitus, decimum nonū Geruaſius, viceſimum ſecundum Achatius, viceſimum quartum Ioannes Baptiſta, viceſimum nonum Petrus & Paulus ſibi vindicat.

Primus verò Iulij Theobaldo, inſequens verò Viſitationi Mariæ, ſextus Octauiano, octauus Chiliano, decimus ſeptem fratrum martyrio, decimus tertius Margarithæ, decimus quartus Chriſtophoro, decimus nonus Saræ, viceſimus ſecundus Mariæ Magdalenæ, viceſimus quartus Chriſtinæ, viceſimus quintus Iacobo, viceſimus ſextus Annæ, viceſimus ſeptimus Marthæ, viceſimus nonus Beatrici conſecratus eſt.

Auguſti quartus Ioſiæ, quintus Oſvvaldo, ſextus Sixto, decimus Laurentio, duodecimus Claræ, decimus tertius Hippolito, decimus quintus Aſſumptioni Mariæ, viceſimus tertius Zachæo, viceſimus quintus Ludouico, viceſimus octauus Auguſtino, viceſimus nonus Decollationi Ioannis attributus eſt.

Septembris primus Ægidij eſt, ſecundus Veronicæ, ſextus Magni, ſeptimus Reginę, octauus natalis Mariæ, decimus quartus Exaltationis Crucis, decimus quintus Euphemiæ, decimus ſeptimus Lamperti, viceſimus primus Matthei, viceſimus ſecundus

Mauritij, vicesimus tertius Esdræ, vicesimus quartus Samuelis, vicesimus nonus Michaëlis, tricesimus Hieronymi est dies.

Octobris primus Remigio, quartus Francisco, nonus Dionysio, vndecimus Burchardo, decimus quartus Esaiæ, decimus sextus Gallo, decimus octauus Lucæ Euangelistæ, vicesimus VVendelino, vicesimus primus Vrsulæ, vicesimus tertius Seuerino, vicesimus quintus Crispino, vicesimus octauus Simoni & Iudæ, vltimus eiusdem VVolfgango consecratus est.

Nouembris primus Omnium Sanctorum est, secundus omnium Animarum, sex. Leonhardi, vndecimus Martini, decimus quintus Casimiri, decimus sextus Otmari, decimus nonus Elisabethæ, vicesimus tertius Clementis, vicesimus quintus Catharinæ, vicesimus sextus Conradi, tricesimus Andreæ est.

Decembris quartus est Barbaræ, sextus Nicolai, octauus Conceptionis Mariæ, nonus Ioachimi, decimus Christiani, decimus tertius Luciæ, decimus septimus Lazari, vicesimus primus Thomæ, vicesimus quartus Adæ & Euæ dies est.

Et hæc de festis fixis.

De Euangeliis Dominicalibus & Epistolis.

Singulis præterea diebus Dominicis ex laudabili consuetudine recepta, adscribuntur Euangelia & Epistolæ populo iis diebus in Ecclesia exponendæ & explicandæ: quæ cùm passim in appendicibus testamẽtorum, Postillisq; reperiantur, non est, vt hæc Exegesi nostræ inseramus, ad alia itaq; properemus.

De Mensibus.

Menses duodecim numerantur, Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Iulius, Augustus, September, October Nouember, December.

Hi ratione numeri dierum inæquales sunt, quarum quidem inæqualitatem quæ primitùs alternatiua erat, ambitio Cæsarum auxit. Ianuarius itaque dies triginta & vnum. Februarius anni communis viginti octo, bissextilis propter intercalarem viginti nouem. Martius verò dies triginta & vnum. Aprilis triginta. Maius triginta & vnum. Iunius triginta. Iulius triginta & vnũ. Augustus, ne Iulio cederet, totidem. September triginta. October triginta & vnum. Nouember triginta. December dies triginta & vnum consecutus est.

Embolismalis verò nonnunquã est mensis, quod tunc euenit, quando duo nouilunia aut plenilunia in eundem incidunt mensem, à quo accidente Annus dicitur Embolismalis.

De Angariis.

Angariarum, quibus conuentus tribuum & iudicia municipalia habebantur, sunt quatuor. Ex his duæ priores dependent ex mobilibus festis, Quadragesima nimirum & Pentecoste, cùm in dies Mercurij hæc festa insequentes incidant. Posteriores verò ex immobilibus, Crucis in Septembri, & Luciæ in Decembri computationem recipiunt, modò non incidant in diem Mercurij; quo casu in sequentem diem Mercurij Angaria differetur: Proximus enim ab his festis dies Mercurius Angariam sibi vindicat. Eadem computatio in Calendario Gregoriano obseruanda. Germanis vocantur Fronfasten/ à fronnen/ hoc est, inseruire, quod ipsum & vox Persica, Angaria, videtur exprimere, aliàs à solutione tributorũ, Goldtfasten/ dictæ sunt.

De

De diebus Canicularibus.

Dies Caniculares à Canicula, Syrio, aut Cane maiore ita appellati sunt: effectus etenim ortus Syrij per id tempus plerumque corpora humoresq; nostros tangunt: iidem cùm statis temporibus recurrant, tempus statum & fixum habent.

Computatione veró communi initium sortiuntur die 6. Iulij, finiuntur & terminantur 17. die Augusti, ad sex integras septimanas sese huius ortus virtute & efficacia extendente. Sub eorum principium Ethesiæ, venti suaues & subfrigidi nimium æstum & ardorem Solarium radiorum mitigantes, flare incipiunt.

Hoc tempus singularem promeruit obseruationis calculum, tum ratione caloris immensi, tum etiam abditæ influentiæ exercitio admirabili. Etenim hoc tempore canes in rabiem aguntur, incisio & adustio membri perniciosa est, medicaméta frustra, & maiore cum damno quàm vtilitate exhibentur, nimius præterea coitus sanitati & εὐεξίᾳ corporis vehementer obest, partes principaliores & nobiliores corporis maximè lædit, neruos contrahit, & Podagram indicit: vigor deinde virilis nimio ex æstu prosternitur, corpusq; exsiccatur, adeò vt si ex reliquo extraxeris partem, vix quod su-

perest sufficiat vitæ, viribus concidentibus & collabentibus, ita modicum deficit, & calidum euanescit: è contra verò muliebris erigitur & adiuuatur virtus: quod venerei sibi dictum putent.

Mirum tamen est, horum dierum principium 6. Iulij assignari, cùm tamen ortus Canis minoris in 19. maioris veró in 27. incidat Iulij. Caussam certè ab effectu, & effectum à caussa ὁμόγενα non posse separari dicis. Verùm hos ortus & antè & póst aliquot diebus suæ operationis aculeum exercere, valideq́; operari, deinde copulationem & congressionem Solis licet platicam cum his stellis non exiguæ virtutis esse, ex diligenti & sobria Astrologorum obseruatione respondetur, adeò vt nec effectus à caussa, nec caussa ab effectu vlla ratione separetur.

Et hæc de notis communibus anni. Nunc de vero intellectu Ephemeridum agemus.

Ephemerides sunt tabulæ motum Planetarum, Capitis Draconis, eorumq́; Syzygias ad certum Meridianum accommodatum continentes.

Cùm itaque Ephemeris ita describi non posit, vt pasim cuilibet Horizonti & Meridiano quadret, tempori Syzygiarum, vt motui certa erit adhibenda correctio.

Et mo-

Et motum quidem quod concernit, is respondet more Astronomico Meridiei loci Ephemeridum: ad alium si accommodandus, differentia longitudinis seu meridianorum loci propositi, Ephemeridumq; obseruanda erit.

Differentia autem longitudinis nil aliud est, quàm arcus ęquinoctialis circuli vel paralleli verticalis locorum inter eosdem meridianos interceptus.

Huius differentiæ indagatio talis est. Quærenda vtriusque loci ex Apiano, Frisio, aut alio Geographō longitudo, sumendo loca viciniora, si proposita haberi nequeāt. Postea veró minor longitudo à maiori subducenda, residuum differentia erit meridianorum quæsita, quæ in tempus conuertenda, computando pro gradibus quindecim horam vnam; pro gradu vno, horæ quatuor minuta; pro minutis quindecim vnum minutum horæ; & pro vno minuto, quatuor secundæ horæ, & prodibit differentia meridianorum in horas & minuta resolta.

Hæc differentia inuenta ad hoc seruiet, vt si quærendus sit ex Ephemeridibus motus alicuius Planetæ, & locus tuus Ephemeridum meridiano sit orientalior (quod licebit ex longitudine loci maiore, quàm Ephemeridum colligere) auferenda hæc reperta erit differentia, addenda autem vbi

locus tuus meridiano Ephemeridum est occidentalior: quod idem ex longitudine minore patebit, & producitur tempus probè reductum, aptum inquirendis motibus.

Syzygiarum veró tempora quod attinet, eis triplex adhibenda correctio est, siquidem Ephimerides tuo non respondeant Meridiano.

Prima correctio consistit in conuersione temporis Astronomici in tempus Vsuale: numerant enim Astrologi tempus suum à meridie instantis vsq; ad meridiem subsequentis diei. Si itaque tempus Ephemeridum excedit duodecim, abiicienda duodecim, & quod reliquum est, erit tempus vsuale sequenti diei adscribendum. v.g.

Contingit Quadratus Lunæ & Solis die duodecima Ianuarij, hora 23. m. 43. subtrahe ab hoc tempore 12. horas, & remanebunt horę vndecim, min. 43. sequenti diei adscribenda: Pronuncio itaque secundum hanc correctionem Quadratum Lunæ & Solis fieri ad 13. diem Ianuarij, hora 11. min. 43. ante meridiem.

Si veró tempus apparentiæ æquet duodecim horas aut minus sit, tunc correctione reductioneq; vlla opus non est, sed eædem horæ Astronomicę dant eiusdem diei tempus vsuale.

Altera correctio reductio Meridianorum est:

eſt: cùm enim non cuilibet Meridiano quadret quælibet Ephemeridum calculatio, tempus (nam de motu iam ſuprà diximus) reducendum erit ad ſuum Meridianum: quo caſu ita procedendum erit. Calculata differentia longitudinum, ſi locus tuus Ephemeridum Meridiano eſt orientalior, quod ex maiore longitudine patet, adde repertam differentiam Meridianorum: ſi verò occidentalior, quod ex minore longitudine colliges, tunc aufer differentiam dictam, & ſic tempus reduces ad tuum Meridianum.

Rem exemplo aperiemus. In Meridiano Vlmenſi contingit Oppoſitio luminarium hor. 9. min. 31. quod ex Ephemeridibus eidem Meridiano inſeruientibus apparet, quam ſi ad Baſileenſem Meridianum reducere velim, quærenda differentia longitudinis, ſiue Meridianorum mihi erit, colligo verò lõgitudinem Vlmenſem eſſe graduum 27. min. 30. Baſileenſem graduum 24. min. 22.: quia verò longitudo Baſileenſis minor eſt longitudine Vlmenſi, percipio Baſileam eſſe occidentaliorem Vlma, proptereaque repertam differentiam, auferendam: differentia verò hæc eſt:

27	30	Longitudo Vlmenſis.
24	22	Longitudo Baſileenſis.
3	8	Differentia Longitudinis.

Hæc differētia in tempus resoluta (quod quomodo fiat superius dictum) efficit minuta 12. secunda 32. Hoc tempus subtrahendum à tempore datæ Oppositionis, & constabit Oppositionem prædictam fieri hora nona, minuto 18. secund. 28. Exemplum ita stat:

Oppositio ☽ ☉ contingit h. 9. m. 30. sec. 60.
Differentia subtr. 12. 32

hor. 9. m. 18. sec. 28.

Et hæc de secunda correctione.

Restat, vt de tertia agamus, quæ est æquatio temporis. Ea veró primò propter inæqualem æquinoctiorum præcessionem, secundò ob diuturnarum reuolutionum discrepantiam, tertió propter eccentricitatis mutabilitatem necessariò adhibenda est. Sunt enim quidam dies medij inter maiores & minores, quibus inæqualitas quæ in aliis apparet regulatur, & ad æqualitatem reducitur. Tabulam veró æquationis huius & Ranzouius & alij conscripserunt: nullus tamen diligentius ipso M. Origano, cuius labor insignis nobis vsum tabulæ subiectæ in quinquaginta annos sine sensibili errore non denegauit. Vteris verò illa hoc modo. Quære locum Solis in Zodiaco, cum eo ingredere tabulam, & gradum correspondentem inuestiga, qui è regione æquationem

27	7
28	7
29	8
30	8

☞

CANON AEQVATIONIS TEMPORIS dierum ciuilium.

	♈		♉		♊		♋		♌		♍		♎		♏		♐		♑		♒		♓	
	S		A		A		A		A		A		A		A		A		A		S		S	
	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″
0	0	16	8	24	10	58	5	41	0	45	4	16	14	17	22	18	20	30	8	18	4	17	7	3
1	0	A 2	8	37	10	54	5	27	0	43	4	32	14	34	22	26	20	14	7	49	4	34	6	57
2	0	19	8	50	10	49	5	13	0	41	4	48	14	59	22	33	19	57	7	19	4	50	6	50
3	0	37	9	3	10	44	4	59	0	40	5	5	15	19	22	39	19	39	6	50	5	5	6	43
4	0	57	9	15	10	38	4	45	0	39	5	22	15	39	22	45	19	21	6	21	5	20	6	35
5	1	33	9	27	10	32	4	32	0	39	5	39	15	59	22	50	19	2	5	52	5	34	6	26
6	1	12	9	38	10	25	4	18	0	39	5	57	16	19	22	54	18	42	5	23	5	47	6	17
7	1	51	9	48	10	18	4	5	0	40	6	15	16	39	22	57	18	21	4	54	5	59	6	7
8	2	11	9	58	10	10	3	52	0	42	6	34	16	59	23	0	18	0	4	26	6	10	5	56
9	2	31	10	7	10	2	3	39	0	45	6	53	17	18	23	2	17	38	3	58	6	21	5	45
10	2	51	10	15	9	53	3	26	0	49	7	13	17	37	23	3	17	16	3	30	6	31	5	33
11	3	10	10	23	9	43	3	14	0	54	7	33	17	56	23	3	16	53	3	2	6	40	5	21
12	3	29	10	30	9	33	3	2	1	0	7	54	18	14	23	3	16	29	2	35	6	48	5	9
13	3	48	10	37	9	22	2	51	1	6	8	14	18	32	23	2	16	5	2	8	6	55	4	56
14	4	6	10	43	9	11	2	40	1	13	8	34	18	49	23	0	15	40	1	41	7	1	4	43
15	4	24	10	49	8	59	2	29	1	21	8	55	19	6	22	57	15	15	1	55	7	7	4	29
16	4	42	10	54	8	47	2	18	1	29	9	15	19	22	22	52	14	50	0	49	7	12	4	15
17	5	0	10	58	8	35	2	8	1	35	9	36	19	39	22	47	14	24	0	S 23	7	16	4	0
18	5	18	11	2	8	23	1	51	1	44	9	57	19	55	22	41	13	58	1	2	7	19	3	45
19	5	35	11	5	8	11	1	49	1	53	10	18	20	10	22	34	13	31	0	27	7	22	3	29
20	5	52	11	7	7	58	1	40	2	3	10	40	20	25	22	27	13	4	1	52	7	24	3	13
21	6	9	11	9	7	45	1	32	2	14	11	1	20	39	22	19	12	36	1	15	7	25	2	57
22	6	25	11	10	7	32	1	25	2	25	11	23	20	52	22	10	12	8	1	38	7	25	2	40
23	6	41	11	11	7	19	1	18	2	37	11	44	21	5	32	1	11	40	2	0	7	25	2	23
24	6	57	11	11	7	5	1	12	2	49	12	6	21	17	21	50	11	12	2	22	7	24	2	5
25	7	13	11	10	6	51	1	6	3	2	12	28	21	29	21	38	10	43	2	43	7	23	1	47
26	7	28	11	9	6	37	1	1	3	16	12	50	21	40	21	26	10	14	3	3	7	21	1	29
27	7	43	11	7	6	23	0	56	3	30	13	12	21	50	21	13	9	45	3	22	7	18	1	11
28	7	57	11	5	6	9	0	52	3	45	13	34	22	0	20	59	9	16	3	41	7	14	0	52
29	8	11	11	2	5	55	0	48	4	0	13	56	22	9	20	45	8	47	3	59	7	9	0	34
30	8	24	10	58	5	41	0	45	4	16	14	17	22	18	20	30	8	18	4	17	7	3	0	16

Hæc tabula antecedit titulum de parte proportionali. pag. 385

ve
te.

pe
mi
in

ſpe
me
cer
ta

Su

Ha
bu
ſu
ge
ex

vel addendam vel subtrahendam, quod literæ A & S te docebunt, demonstrabit.



Hic inserenda tabula hoc signo notata.

De parte proportionali.

Verùm enimuerò pro horis quidem expeditum est excerpere æquationem, pro minutis difficile, nisi pars proportionalis inuestigetur.

Partem proportionalem voco, quæ respondet minutis: vt itaq; eam colligas, sume æquationem duorum dierum se inuicem insequentium, & subtractione instituta elice differentiam, sic:

Solis grad.				
	22	20	14	
	21	20	1	
Subtractio		00	13	differentia æquationum

Hac differentia multiplica minuta gradibus Solis adhærentia. Verùm cùm insulsum sit secundis minuta multiplicare, rediges minuta in eandem denominationem ex minutis secunda faciendo, hoc modo.

Posito quod fiat Oppositio Solis & Lunæ, Sole in 21. gradu & 13. minut. Libræ, minuta hæc appendentia resolues in secunda per multiplicationem: exemplum ita stat.

60
13
———
180
60
———
780

Constat itaq; 13. minuta facere 780. secunda.

Hac resolutione perfecta, institue multiplicationem hoc modo.

780 minut. gradib. adhær.
13 Different. æquat.
———
2340
780
———
10140 pars Proportionalis.

Constat itaque 10140 tibi constituere partem Proportionalem à tempore proposito detrahendam: hęc itaq; secunda resoluis in minuta per diuisionem 60, & proueniunt 169. minut. quæ rursus in gradus diuisionis medio diuisore 60 colligenda, efficiesque 2. grad. & 49. minuta: quæ tibi partem proportionalem correspondentẽ minutis gradibus Solis annexis efficiunt: pro gradibus minuta, pro minutis secunda assumendo, & sic

& sic habes 2. minut. 49. secund. Hanc siquidem in sequenti gradu æquatio crescat addis, si decrescat subtrahis, & relinquetur tempus apparentiæ præcisè calculatum. Aliàs verò hæc scrupulosa diligentia plerunque in Calendariorum confectione negligitur. Et hæc de parte proportionali.

Proximum nunc est vt de conuersione temporis vsualis in Astronomicum dicamus.

Vsuale tempus conuertitur in Astronomicum, quando horis antemeridianis vsualibus 12. adieceris horas, collectum dat tempus Astronomicum. Postmeridianum autem tempus vsuale à tempore Astronomico non differt, quod ex supradictis satis apparet. Et hæc de conuersionibus temporum.

Ratio numerandi Eclipses.

Restat vltimò, vt aliquid de ratione numerandi Eclipses cùm Solares, tum Lunares dicamus.

Quid & quotuplex Eclipsis, quid operetur & quamdiu, iam suprà exposuimus: proximum est, vt subiungamus expeditum modum calculandi easdem. Hunc verò modum certis includemus regulis.

Primò inquire ad horam diei, in qua E-

clipsis futura est, locum verum Solis & Lunæ ex Ephemeridibus.

Secundò, Inquire semidiametrum Lunæ hoc modo. Motum horarum Lunæ inquisitum ad diem, in qua futura est Eclipsis multiplica per 47. productum deinde per 48. & prouenit Diameter Lunæ, hanc partire per 2. & habebis semidiametrum.

Tertiò, Inuestiga semidiametrum vmbrę hoc modo: Sole constituto in Auge sui Eccentrici, multiplica Diametrum Lunæ iam inuentam per tredecim, productum diuide per quinq;, & prouenit Diameter vmbræ in loco transitus Lunæ.

Sed si extra Augem sui eccentrici Sol fuerit, inquire loci Solis motum horarium, à quo subtrahe motum horarium Solis, cùm in Auge sui Eccentrici est, & relictum multiplica per 10, & quod ex hac multiplicatione prouenit subtrahe à Diametro vmbræ antea inuenta, & habebis Diametrum Vmbræ, qua dimidiata prouenit Semidiameter.

Quartó, Semidiametros Lunæ & Vmbræ coniunge.

Quintó, Inquire latitudinem Lunæ hoc modo. Argumenti Latitudinis Lunæ veri (quod ostendit subtractio motus veri Capitis Draconis ad diem Eclipsis à motu vero Lunæ adsumpto integro Zodiaco, si aliàs

sub-

ſubtractio fieri nequit) ſigna quære in tabula Latitudinis Lunæ Ephemeridibus præfixa, gradus veró in latere ſiniſtro deſcendendo, vel dextro aſcendendo, & in angulo cõmuni ſe offeret Latitudo Lunæ vera cum ſuo titulo: ſi tamen gradibus argumenti minuta quædam adhæſerint, duplici introitu vtendum erit, vt fieri ſolet.

Sextò, hæc latitudo inuenta, ſi fuerit æqualis aggregato ſemidiametrorum, aut maior, Luna vmbrã vitabit, ſin minor, Luna eclipſabitur. Subtrahe igitur eam ab aggregato ſemidiametrorum, & reſiduum ſerua ad partem.

Septimò, Per regulam proportionum inquire, quanta pars de corpore Lunæ obſcuretur, hoc modo:

Integrum Diametrum Lunæ primó inuentum colloca primo loco; ſecundo 12. digitos, tertio reſiduum ex ſubtractione Latitudinis Lunæ & ſemidiametrorum ad partem ſeruatum, & progredere ſecundum regulam proportionum, habebiſq; quantitatem Eclipſis futuræ.

Tempus verò durationis Eclipſium hoc modo inuenies.

Primò, Aggregatum ſemidiametrorum quadra.

Secundò, Quadra & Latitudinem Lunę.

Tertiò, Quadratum Latitudinis Lunæ

subtrahe à quadrato semidiametrorum, & relinquitur iuxta doctrinam penultimæ primi Euclidis tertij lateris, in quo Luna à principio Eclipsis vsq; ad eius finem mouetur, Quadratum.

Quartò, Ex hoc quadrato extrahe radicem, & habebis minuta casus.

Quintò, Minuta casus (resoluta in minorem denominationem, si alioqui diuisio fieri nequeat) diuide per excessum motus horarij Lunæ super motum horarium Solis, & prouenit tempus minutis casus respondens, id est, tempus mediæ Eclipsis. Atque hęc est ratio inquirendi durationem temporis Eclipsis Lunæ partialis seu totalis absq; mora. Nam in totali cùm mora ad inueniendum tempus moræ sic procedendum erit.

Primò, Post extractionem radicis ex tertio Quadrato suprà inuento, subtrahe semidiametrum Lunæ à semidiametro vmbræ, & relictum quadra.

Secundò QuadratumLatitudinis subtrahe ab hoc quadrato iam inuento, & relinquitur Quadratum moræ dimidiæ.

Tertiò, Radicem quadrati moræ dimidiæ subtrahe ex radice tertij lateris suprà quæsita, & relinquentur minuta incidentię.

Quartò. Minuta incidentiæ & radicem quadrati moræ dimidiæ singula seorsim diuide,

uide, vt antea, per excessum motus horarij Lunæ super motum horarium Solis, & habebis tempus casus & moræ dimidiæ.

Et hęc de tempore durationis Eclipsis.

Sin verò ex Ephemeridibus placeat calculare Eclipses, seu potiùs ad tuum meridianum reducere: accipies dimidiam durationem, hanc tempori syzygiæ adiicies, reducto, & proueniet finis Eclipsis: sin verò eandem subtraxeris, eius dabitur tibi initium. Medium dat tempus Coniunctionis aut Oppositionis. Exempli gratia.

Anno 1525. die 4. Iunij facta erat Lunaris Eclipsis, ante meridiem, hora 10, min. 11. huius dimidia duratio erat 52. minut. addo itaque 10. hor. 11. min. tempus durationis dimidię, & ita stat:

Medium Eclipsis siue tempus incidentię Syzygię	10. h. 11. m.
dimidia duratio	53. m.
Finis Eclipsis	11. h. 4. m.

Colligo itaque, hora 11. min. 4. huius Lunaris Eclipsis instare finem. Si verò subtraxero tempus dimidiæ durationis, remanebit initium Eclipsis. Exemplũ ita se habet.

Medium Eclipsis Lunaris,	10. h. 11. m.
Dimidia duratio,	53. m.
Initium Eclipsis.	9. h. 18. m.

Tota duratio est 1. hor. & 46. min. quam ex additione initij & finis Eclipsis venaberis. Exemplum ita se habet.

Initium	Eclipsis	9.h.18.m.
Medium	Eclipsis	10.h.11.m.
Finis	Eclipsis	11.h. 9.m.

Faciliùs hoc consequeris, si dimidiam durationem duplicatam in tempus resoluas. Et sic ex Ephemeridibus Eclipsis computatur. Ιδὼν τὸ τέρμα τὴν χάριν Θεῷ δίδου.

FINIS.



IN-

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM,

quæ in hoc libello continentur, alphabetico ordine dispositus.

A

Haly

H

I

M

Ortus

Saturnus

V

FINIS INDICIS.

